ANIMADVERSIONES

DE

NATURA HYDROPIS

EJUSQUE CURATIONE.

AUCTORE

FRANCISCO MILMAN, M. D.

COLL. REG. MED. LOND. ET REGIAE SOCIETATIS LOND. SOCIO.

Ὕδρωψ ἀτερπὲς μὲν ἐσιδεῖν πάθος, χαλεπὸν δὲ καὶ παθεῖν, διαδιδρήσκουσι γαρ τόδε πάγχυ παῦροι, ἐπ' ευτυχίης, καὶ θεῶν μᾶλλον ἢ τεχνης.

ARETAEUS.

TICINI.

Apud Balthassarem Comini.

MDCCXCV.

16.8.64

Digitized by Google

REVERENDIS ADMODUM ET
NOBILISSIMIS VIRIS

FREDERICO, ARCHIEPISCOPO
CANTUARIENSI;

EDVARDO THURLOW, BARONI DE
ASHFIELD,
MAGNAE BRITANNIAE CANCELLARIO;

ROBERTO, EPISCOPO LONDINENSI;

JOHANNI, EPISCOPO WINTONIENSI;

FREDERICO, BARONI DE NORTH,
ACADEMIAE OXONIENSIS CANCELLARIO;

Digitized by Google

THOMAE, VICE-COMITI DE WEY-
MOUTH; etc. etc.;

GULIELMO COMITI DE MANSFIELD,
etc. etc.;

GULIELMO DE GREY, EQUITI
AURATO, etc.;

THOMAE SEWELL, EQUITI AURATO,
etc.

QUUM favore vestro, viri amplissimi, delegatum mihi officium a Radclivio ea potissimum mente et consilio institutum videatur, ut, si quid novi utilisque ad artis medicae incrementum alumnis suis inter peregrinandum innotuerit, id domum reversi in patriae commodum proferrent: ne muneri meo et fundatoris nostri votis prae ignavia deesse arguerer, tentamina haecce, qualiacunque de Hydrope, (argumento, si quod aliud, gravi et arduo) sub auspiciis vestris examini publico submittere ausus sum, amplas relaturus laboris mercedes, si modo leviusculum hocce, et pietatis meae in Radclivium et summae in Vos observantiae gratum acceptumque habeatis testimonium; nec clientem vestrum jam

prope emeritum et quasi rude donandum, eodem, quo antehac tam feliciter usus est, praesidio posthac indignum prorsus immerentemque censeatis.

Digitized by Google

LECTORI

S.

Nuper a viris gravissimis quaesitum est, an in omni Hydrope sollicite ab omni potu sit abstinendum? Inter actu Collegii Regalis Medicorum Londinensis editae sunt historiae quaedam Hydropicorum, quos pro deploratis habitos remedium plane inusitatum, potus nempe aquosi copia, ex orci pene faucibus eripuerat. Hinc vir omni literarum genere instructissimus et in medendi arte peritissimus publico permisit judicio, annon felicior processura sit Hydropicorum curatio si diluentium haustus largiores et frequentiores siti aegrorum importunae concederentur *? — *Quum mihi, in obeundo meo apud exteras gentes munere, plurima et gravia huc spe-*

* Nay it not be, therefore, that more cures might be performed, if the like indulgence (*viz.* with respect to drinks) were more frequently allowed? — But I content myself with having collected the facts; let others reason upon them, and form their conclusions. V. Sir George Baker's Observations in the second volume of the Medical Transactions of the College, p. 238.

ctantia et observasse et notasse contingerit, officii esse duxi ad hanc questionem perpendendam memet accingere. Et eo alacrius humeros utcunque impares huic oneri submitto, quod hisce temporibus laetus sentiam, non adeo in rebus medicis praejudicata hominum pollere placita, non eam inveteratae opinionis esse vim et imperium; quin natis experientia monitis, sua etiam constet, nec levis, auctoritas.

Elapsis abhinc aliquot annis medicos vidimus, variolis correptos sedulo ab aere defendentes, ne scilicet pus omne et venenum in sanguinem repente per externi frigoris vim repellerentur. Haec medentium animis insederat sententia, haec inflexerat praxim. At quanta, heu! quanta exinde profecta humani generis strages! – Meliora jam tandem edocuit dies: et, magistra experientia, sero didicimus, nihil adeo pustularum eruptioni favere, aut saevientis morbi refraenare impetum, ac coelo, quod extimuimus, frigido exponi.

In Hydrope medendo haud minas erratum esse videtur: dum (ne morbus exinde incrementum caperet) humorem ad vim medicamentorum promovendam crudelis denegaverit et solennis disciplina. Qui hujusce mali curae adfuerunt, ploravere, nec im-

Digitized by Google

*merito, remedia et spes et vota fere semper fefelisse, donec tandem Bacherus, apud Gallos haud infimi nominis medicus, infelici modorum hactenus usitatorum eventu monitus, cum medicamentis humectantia et potulenta Hydropicis porrexit, audacter (si cuivis placeat) sed tuto sed feliciter. Hanc Bacheri methodum maximis extulit laudibus regis Christianissimi medicus celeberrimus Richard *. Hanc plurimi nec improspere per Galliam adoptarunt medicinae professores. Permultos Hydrope laborantes, potulentis in medicamentorum opem submissis, a peritissimo apud Vindobonenses medico Henrico Collin sanatos vidi; et ipse haec eadem aptimo cum fructu sum imitatus,*

Nec igitur cum factis et experientia amplius concertent futiles, necdum profli-

* L'ancienne erreur du regime sec et de l'abstinence de toute boisson, doit ceder, en ce cas, a l'evidence des faits et a la superiorite des raisons qui etablissent la methode contraire. Je ne pretends pas encherir sur les preuves que M. Bacher a données a ce sujet, et qui sont consignées dans l'exposition des differens moyens usités dans le traitement des Hydropisies. V. Recueil d'Observations de Medécine des Hôpitaux Militaires fait et redigé par M. Richard de Hautesierck, Chevalier de l'ordre de St. Michel, etc. etc. vol. ii. p. 364.

gatae theoriae, argumentis a natura et Hippocrate ductis, hunc medendi propugnare nec timide nec temere adgredior, in hanc nempe spem erectus, hosce conatus meos facile apud lectorem candidum impetraturos veniam, quippe quos unicum de patria et de artis therapeuticae professoribus bene merendi studium incitaverit.

ANIMADVERSIONES
DE
NATURA HYDROPIS
EJUSQUE CURATIONE.

Vix ullus humano generi frequentior incidit morbus, quam Hydrops. Permulta, quae mortalium valetudini insidiantur, mala excipit. Divites idem infestat ac pauperes. Sexum utrumque et omnes adoritur aetates. Nec solum late grassatur, tam perniciose plerumque incedit, ut rara apud auctores medelae exempla reperiantur. Dudum profecto monuit Aretaeus, „ Perpaucos ab Hydrope liberari, idque felicitate quadam et Deorum potius quam artis auxilio. „

Sed unde evenit, ut ad dirum hunc morbum adeo vana fuerint medicinae auxi-

lia? Immedicabiles Hydropis causae; an perversa aliqua et parum apta medendi ratio incusanda? Haec ordine disquirentur; et, quo dilucidius pateant, neque inutilem neque ingratam me spero operam praestiturum, si de natura Hydropis ejusque causis pauca breviter praemittam.

HYDROPS est nimia humoris aquosi in cavo aliquo corporis abundantia. Scire autem convenit, arteriolas undique omnes fabricae nostrae cavitates perreptare quas ubique venulae comitantur. Illae liquorem fundunt partibus humectandis aptum: hae laticem hauriunt aquosum, resorptumque sanguini reddunt. At vero, si prae nimia fluidorum, quae ab arteriolis effundantur, quantitate, illis referendis impares fiant venulae, vel si a vasis exhalantibus solita copia humor depluat, venulae autem simul suis fungis officiis nequeant, aquosa colluvies Nydropsque oriatur necesse est.

Et hoc profecto vitium in iis potissimum corporibus evenire solet, quibus tenuiorem solidorum compagem natura dederit. Hinc feminae huic malo magis obnoxiae sunt quam viri. Hinc praesertim adolescentulae chlorosi laborantes in Hydropem proclives.

Incipit vero interdum hic morbus a debilitate viribus vitalibus, nimia sanguinis sive per venaesectiones, sive alio quocunque modo evacuatione, vel morbis acutis in longum protractis, illata. Quamvis a fibrarum laxitate haec causa multum diversa videatur, tamen modo non absimili ab utrisque Hydrops progignitur. Vires enim vitales hisce causis debilitatae debilitatem et laxitatem quandam solidis simplicibus inferent; et contra, solida simplicia laxa et debilia vires vitales semper in debilitatis consortium trahent: et a nimia virium debilitate ab utraque causa proveniente fiet, ut humores aquosi, qui per excretoria foras deberent expelli, minime expellantur, sed manentes in corpore sensim in ejus cava delabantur. Illud tamen inter morbos hisce diversis causis natos intercedit discriminis, quod in Hydrope a fibra laxa orto maxima sit solidorum laesio: hinc aqua ubique diffluere, et molli undique tumore corpus quasi grandescere videtur. Sed quum debilitati virium ex evacuationibus morbisve ortae Hydrops supervenit, minus est solidorum damnum; attamen cordis robore fracto, humoribusque languidissimo in vasis extremis motu actis, tenues, quibus

quotidie corpus reficitur, liquores in cava vel in telam cellularem pondere suo feruntur. Hinc effusiones illae aquosae, quae nimias sanguinis evacuationes sequuntur, febresve vel diarrhoeas diuturniores excipiunt, initio partes magis declives occupant. Crura imprimis tumore attollunt; deinde latius proserpens malum in abdominis imo quandoque in pectoris penetrat spatium.

Alius vero et longe uberior fons Hydropis in impedito revolubili sanguinis circuitu reperitur. Variis hoc causis efficitur; a polypis in corde vel majoribus vasis, et a duris in abdomine tumoribus. » In cadavere hominis qui Hydrope periit, repertum eſt omentum in pelvim usque propendens, mutatum in crassum marsupium quod steatomatosum tumorem gerebat pondere libras medicas triginta tres aequantem *. « A jecore et a liene male affectis Hydrops saepe derivatur. Eidem valde obnoxius est malus corporis habitus, quo infarctae et obstructae mesenterii glandulae lympham ab extremis refluentem, ne ad cor dextrum transvehatur, im-

* V. Swieten Comment. vol. iv.

pedire solent. Quicquid denique sive in vasis intus positum sive extrinsecus eorum cava angustet aut occludat, efficiet ut liquor vitalis hisce in vasis obstaculis interclusus et faciliorem per vasa exhalantia quam per venas viam inveniens, in cava corporis sese insinuet. Haec omnia pulcherrime Loweri experimentis illustrantur, qui „ per- „ forato dextro latere thoracis canis venam „ cavam vinculo strinxit: dein relaxato „ pectore vulnus consuit. Peracto autem „ experimento canis mox oblanguebat et „ intra paucas horas expirabat. In dissecti „ abdomine magna seri quantitas innatare „ conspiciebatur, non aliter quam si ascita „ diu laborasset. " Venas jugulares pariter subducto iis filo in cane arcte ligabat, et post aliquot horas partes omnes supra ligaturam mire intumescebant, et intra duos dies canis interiit. „ Musculi omnes et „ glandulae sero limpido maxime distentae „ et admodnm pellucidae apparebant; quod „ clare arguit ex constrictione venarum, „ cum sanguis ab arteriis in venas transire „ nequit, serum utcunque secerni; utpo- „ te velut in filtro meatus apertiores et „ poros configuratos et aptiores habens in „ quos fluat; crassior autem sanguinis pars

„ propter meatuum disproportionem non „ omnino in illos recipitur, et propterea „ intra vasa sua stagnare cogitur*. "

Notabilis a Willisio memoratur casus adolescentuli qui venationi et equitationibus improbis aliisque corporis exercitiis quantumvis immodicis dudum impune assuetus tandem thoracis Hydrope correptus **. Vasis intra thoracis cavitatem disrupti sensum habuit aeger, indeque per semihorae spatium, uti narrat Willisius, in regione ista humoris velut ab alto in pectoris fundum cadentis stillicidium non tantum ab eo percipi sed etiam ab adstantibus audiri potuit. Verum quum humoris stillicidium et vas illud ruptum minime oculis paterent, et non subito sed sensim, fatente willisio, morbus obrepserit, haud omnino aegri sensibus fidendum videtur, mallemque rem impedito per pulmones sanguinis cursui acceptam referre. Nam corpore nimio et violento motu assidue agitato, repetitis quasi successionibus fient inspirationes. Quoties autem non possunt rite expandi vesiculae, difficilius progredientur liquida. In pulmo-

* Lower de Corde, p. 118.
** V. Th. Wallis Pharm. Rationalis, p. 116.

nibus saepissime coacervata distendent vasa, viamque sibi sensim in thoracis cavitatem aperient. Consimili modo asthmate ob difficilem per pulmones sanguinis transitum oritur subinde thoracis Hydrops, imo ascites etiam et anasarca.

Sed nimia humorum tenuitas *, saepe saepius incusatur, et apud auctores legere est, ex superabundante sola in sanguine aquae proportione Hydropem imminere. In rei argumentum citantur Halesii experimenta, quibus nos doceri voluerunt „ abundantem in humoribus nostris aquam minime per arteriarum sanguiferarum fines in venas transire debere, sed in cava corporis derivari et Hydropem facere, illudque quamvis non majori vi aqua premitur quam erat vis cordis in statu naturali **. " Fallacia, uti mihi videtur, haec experimenta; vis enim cordis minime adamussim aestimatur. Sed naturam potius quam experimenta respicienti cuidam facile patebit, quod si, aquae in

* Humorum status a statu solidi simplicis et solidi vivi semper pendet. Humores itaque minime tanquam causae, in morbis censendi.

** V. Swieten Comment. vol. iv. p. 191.

sanguine proportione ad reliquas partes aucta, liquor vitalis vi cordi eadem ac in statu naturali propelleretur, pars abundans aquosa per spiracula cutis vel per renes foras ejiceretur: tunc solummodo metuendum est, ne in cava corporis deferatur, quum jam ab iis, quae Hydropem quandoque inducunt, causis vis cordis multum fuerit imminuta. Quorsum igitur huc revocatur Schultzii experimentum? Aquam cani, donec fiebat Hydropicus, propinavit. Sed animalis sanguinem prius detraxerat ad deliquium prope; dein vires prostratas et jacentes aquarum oppressit diluvio. Ita et illi Hydropici evadunt qui sive labore sive morbo fracti magnam aquarum molem temere ingurgitant. Hippocrates docet illos qui „ ex longo viae itinere in aquam plu„ viam et statariam inciderint eamque avi„ de copiosam biberint *, " Hydrope fuisse correptos. Narratur a peritissimo medico Johanne Fothergill historia hominis qui aquam hordeatam, quo Febris profligaretur, haurire monitus potulenti istius libras duodecim quotidie pes mensis spatium in-

* V. Hippocrat. Oper. edit. Chart. vol. vii. p. 658.

caute sumpserit, ideoque in anasarcam pene incurabilem inciderit. Si, aestuante febre, hoc solummodo sumpsisset remedium, nullum verisimiliter exinde sensisset incommodum. Etenim sub initio febrium et sub illorum incremento magnam aquarum copiam non tuto solum sed maximo cum fructu Itali ingerunt; neque a diaeta aquea, uti vocatur, Hydropem metuunt. At facile fieri potest, ut illud, saeviente morbo, pro remedio sit, quod declinante malo, et exhaustis viribus, corpori maxime noceat. Itaque minime mirum est hunc hominem qui a febre sensim debilitatus per mensis spatium duodecim aquae hordeatae librarum potationem continuaverat, Hydrope fuisse correptum.

Verum enimvero, integris adhuc viribus abundans in sanguine aqua in cava corporis non modo non deponetur, sed etiam si in cavitatem aliquam aqua immittatur, nulla jam obtinente solidorum laxitate aliisve Hydropis causis, evanida cito locum deferet, et sanguini reddita de corpore per excretoria exibit. Haec abunde testantur experimenta celeberrimi olim Gulielmi Musgrave, qui per siphonem injecit uncias quatuor aquae calidae in dextram

partem thoracis canis vivi unde difficultas respirationis sequebatur et manifesta debilitas *: tamen successive minuebantur hae molestiae, et septimanae spatio aeque sanum videbatur animal ac antea fuerat: postea simili modo injecit sexdecim uncias aquae calidae in sinistrum thoracis cavum ejusdem canis: respiratio erat difficilis; animal calebat admodum et cor validissime pulsabat. Intra septimanae spatium pariter convaluit canis. Postea in unum thoracis cavum aquae calidae uncias octodecim injecit, in alterum sex tantum: eadem omnino symptomata sequebantur, sed citius evanescebant. Post quinque enim dies perfecte convaluit canis. Simul observavit copiam urinae solito majorem excrevisse hoc animal **.

Ad tria igitur capita jam recensita, scilicet ad fibrarum laxitatem, ad vires magnis evacuationibus morbisve acutis in longum protractis demissas, vel ad impeditum revolubilem sanguinis circuitum, Hydropes omnes referri posse censeo.

* Haec difficultas respirationis et debilitas, a gravibus Hydropis causis non illatae, viribus naturae medicatricibus facile superantur.

** Swiete~ Comment. vol. iv. p. 129.

Causae hujusce mali remotae variae sunt et multiplices. Quicquid solidas partes laxat vel humoribus serosis in corpore coacervandis commodat operam, ad Hydropem disponet. Favet illi vita deses, otiosa; humidum etiam coelum udaeque tempestates. Huic malo magis obnoxii sunt qui humili solo quam qui locis montanis degunt vitam. Illud etiam omne, quale quale sit, quod ad labem visceribus inurendam, vel ad obstructiones illis sensim conciliandas conferat, Hydropi sternit viam. Inde fit ut in hunc morbum proclives sint qui duris viscidisque cibis utuntur; pauperes qui pane nigro vescuntur, et infantes qui insalubri aluntur victu. In lubrico versantur qui perdito liquores spirituosos, ingurgitandi mori indulgent. Hinc bibacissimi quique helluones, monente Sydenhamo, saepius cum hoc malo, frigido licet, quam caeteri conflictantur.

Haec de Hydrope in genere. Superest, ut de speciebus illius pauca dicamus, scilicet de ascita et anasarca. De his enim hic praecipue sermo erit.

Ascites est nimia humoris aquosi in cavo abdominis abundantia. Tribus autem modis aqua in cavo abdominis haerere po-

test. Vel viscera undique alluit, et tunc apte satis a Sauvagesio Hydrops abdominalis nuncupatur: vel occupat spatium, quod inter musculos abdominales et peritonaeum interjacet, quem ideo Hydropem peritonaealem vocare licet: vel in sacculis aut cavis glandularum humor sibi receptacula format, et tunc Hydrops cysticus vulgo adpellatur. Voluerunt Meadius aliique haud parvi nominis medici, Hydropem saepe in duplicaturis peritonaei habere sedem. Sed inter anatomicos jam, ni fallor convenit simplicem esse hanc membranam. Humor in tunicam cellularem, quae istius membranae faciei anteriori adhaeret, illapsus viros illos in errorem verisimiliter induxit.

Hydrops abdominalis, seu ascites, cuius de curatione mox agetur, hisce fere notis sese ostendit. Debilis aeger atque languidus; anhelans exercitatione fit, motumque aegre sustinet: venter intumescit. Impulsus sonum collectae permotaeque intus aquae praebet. Ubi premitur, spiritus fit difficilis. Sitis adest perpetua fere, initio tamen haud vehemens; urina parca, crassa, rubicunda. Pulsus parvus, frequens. Partes superiores emaciantur. Extenuantur musculi. Tandem oritur febricula, quae, invetera-

scente morbo, augetur, et sub finem fit immanis.

Facile satis hic morbus ab Hydrope peritonaeali distinguitur. Nam hic sensim incipit et lente admodum incedit, et venter aequabiliter non tumet, uti in Hydrope abdominali fieri solet, sed circumscriptus praecipue in anteriori ventris parte tumor apparet, cujus figura in diverso corporis situ vix mutatur. Verum in Hydrope abdominali nisi admodum distentum fuerit abdomen, mutatur tumoris locus prout in hoc illudve latus aeger decumbit. Sic pariter distingui poterit ab ovarii tumore incipiente, qui circumscriptus inferiorem lateralem abdominis regionem occupat, et plerumque quemdam dolorem habet comitem vel habuit praenuntium. Extenuatio partium superiorum maxime in Hydrope abdominali notabilis: non aeque in peritonaeali observatur neque in cystico. In his non adeo importuna sitis, neque multum urinae mutantur. In illo perpauca exit. In his quamquam tumor in molem satis magnam increverit, non adeo opprimuntur pectus pulmonesque. Sub illius statu respiratio difficilis, anhelosa.

In anasarca aqua in telam cellularem subter cutem funditur. Ascitae sese fere comitem adjungit anasarca; ex iisdem profluit causis, eandemque postulat medicinam. Itaque haud opus est, ut in illa multis immorer.

Causis jam expositis, sequitur ut morbi exinde PRAESAGIA depromamus. Ceterum igitur illos exitium manet, quorum morbus a jecoris, vel a lienis aliusve visceris scirrhis oritur, quique a pulmonum vitiis in Hydropem incidunt. Neque minus illis periculum, qui, ruptis vasculis in cavum abdominis liquida sua assidue depluentibus, aqua implentur. Illis certa mors, qui in vasis habent polypos vel in abdomine tumores venas et vasa comprimentes. Difficile curantur quorum Hydropes a glandulis mesenterii, sive malo corporis habitu sive alia quacunque causa infarctis et obstructis, trahunt originem. Si glandularum morbum quoquo modo tollere valeamus, cedet facile Hydrops. Non adeo periculose aegrotant, qui nullo praecedente morbo fiunt Hydropici: si morbus praecesserit, vires vero non multum demissae sint et respiratio libera, nullusque aegrum urgeat dolor, spem maximam fovere licet. Ubi febris

magnae sanguinis evacuationi succedit, illamque Hydrops excipit, fere semper et parvo temporis spatio aegri morbo succumbunt. Saepissime sanantur qui a febribus, nulla praecedente haemorrhagia, in hunc morbum incidunt.

In morbi huiusce CURATIONE duae praecipue indicationes ab auctoribus notantur. Prima est aquam superabundantem de corpore expellere; secunda, novum aquarum proventum praecavere. Sed priusquam ad remedia veniamus, operae erit pretium obiter monere, eam in corpore animali obtinere legem, qua, si mendicamentorum ope magna aliqua evacuatio ex quavis parte provocetur, fit ut fluida, quae aliis in partibus latent; resorpta ad organa remediis sollicitata deferantur et eliminentur. Hinc humores Hydropicorum alibi in cavis haerentes ad intestina remediis purgantibus, vel ad renes diureticis devecti, foras protrudentur. At non solum ad hoc malum debellandum evacuationes per varios corporis exitus excitandae; sed etiam, quo votorum compotes simus, assidue promovendae et sustinendae donec humor abundans penitus expellatur. Eam ob causam in catharticis omnibus, Hydropicorum sanationi

dicatis, Sydenhamus id diligenter observandum docet, " ut aquae ea maxima celeri-
" tate exhauriantur quam aegri vires ferre
" queant, utpote qui singulis diebus ex-
" purgari debeant: nisi quod sive ob ni-
" miam debilitatem corporis sive cathartici
" praecedentis operationem plus satis vio-
" lentam dies unus vel alter non nunquam
" intercalari possit. Etenim si non nisi post
" longa intervalla repetatur purgatio, quan-
" tumlibet copiosa catharsis praecesserit,
" aquis denuo affatim colligendis ansam
" praebebimus. " Sed illud plane huic methodo incommodum inest, quod, aqua demum omnino exantlata, vires adeo simul convellantur, ut malum fere cito redeat. Itaque in remediis humores per urinae vias leniter et assidue deducentibus spes nostra Hydropem curandi fere omnis posita est. At illa profecto incertae admodum sunt virtutis. Dudum monuit Friendius noster, hanc medicinae partem quae ad urinas provocandas pertinet, esse omnium maxime mancam. Ad virtutes hasce diureticorum debiles et incertas certiores efficacioresque reddendas, medicus quidam apud Gallos, cui nomen Bacher, haud ita pridem sese accinxit et felicissime Hydropicorum cura-

tioni adfuit. Cum tandem a provincia, ubi medicinam exercuit, ad aulam viri hujus fama pervenisset, Regis Christianissimi medicus celebris Richard in mandatis accepit ut remedium methodumque medendi a Bachero usitatam ad examen revocaret; et quo certior de illorum effectu fieret, nosocomiorum militarium quatuor medicis locis regni dissitissimis degentibus, nullaque cum Bachero amicitia coniunctis, rem commisit. Omnes hi medici remedium methodumque medendi repetitis experimentis comprobatam maximis cumulaverunt laudibus, regisque medico aegrorum ab illis sanatorum diaria retulerunt: quam ob causam remedium, Bachero celatum, magno pretio a Rege Christianissimo fuit redemptum.

Permultae aegrorum a Bachero sanatorum historiae in lucem editae sunt: illas tamen, (quamvis nunquam in quantum scire potui in dubium vocatae) omnes tacebo. Melius erit de hac re aliorum testimoniis uti. Et, ne taedium lectoribus meis inferendi reus arguar, Doctorum Dehorne et Daignan diaria citare liceat; virorum et fama, et fide, et dignitate spectatissimorum. Qui plura de hisce rebus ediscere cupiunt, libros, ex quibus ipse docu-

menta iſta deprompſi, conſulant. Dominus Daignan * octodecim aegris in tres claſſes, ratione gravitatis morbi habita, diſtributis Bacheri remedium exhibuit. Prima claſſis illos habet qui anaſarca generali febres intermittentes inſecuta laborabant. Secunda claſſis illos qui et anaſarca et ſimul quodam aſcitae gradu a febribus diuturnioribus ortis afficiebantur. Duodecim hi aegri ſanati fuere: neque plane Hydropis ex iſtis cauſis profectae difficilis curatio. At tertia claſſis illorum continet hiſtorias qui longis morborum variorum taediis labefactati tandem et anaſarca et aſcita graviſſime correpti ſunt. Ex ſex aegris hiſce quatuor integre reſtituti fuere. Duo morti ſuccubuerunt. At unius eorum ſecto cadavere, utraque pectoris cavitas aqua atrorubri coloris plena inveniebatur. Pulmones male affecti. Concretio polypoſa in dextro cordis ventriculo. Et hepar et ſplen duri, et magnitudine molem naturalem ſuperantes. Meſenterii glandulae infarctae et obſtructae.

* V. Observations faites par ordre de la Cour; sur l'effet des pillules toniques pour la curation de l'Hydropisie, par M. Daignan, conseiller, medecin ordinaire du Roi, etc.

Alterius cadaveris et hepar et pancreas scirrhis obsessa. Splen admodum durus.

Historiae aegrorum octo a domino Dehorne * narrantur, quorum sex et ascita et anasarca, duo ascita sola laborabant. Horum quatuor convaluere. Tres mortui sunt. Unus ex Hydrope liberatus et ad aquas medicatas missus post paucos tamen dies ad nosocomium revectus et voce privatus morti succubuit. Hisce testimoniis majorem fidem faciunt historiae plus quam viginti Hydropicorum a variis medicis et variis remediis sanatorum: sed, quod mirum videri potest et omnino inusitatum est, illud omnibus commune fuit ut diaeta humectante cum medicamentis et potationibus aquosis ad sitim restinguendam et ad vim medicamentorum promovendam copiose et ad libitum uterentur.

Pilulae (quarum praeparatio ad finem, Appendicis loco, adjicitur) ex hellebori nigri extracti grano dimidio singulae componuntur, decem simul sumendae et horae intervallo eadem dosis ad tres vices

* V. Observations faites par ordre de la Cour sur l'effet des pillules toniques pour la curation de l'Hydropisie, par M. Dehorne, premier medecin de l'hôpital militaire de Metz.

repetenda. Pilulae initio alvûm laxant: inde magnam urinae copiam proliciendo aquas deducunt et morbum depellunt. Putat Bacherus se, helleborum praeparandi methodo sibi propria, vires illas noxias, ob quas medici, uti prae se fert, ex ejus usu abhorruerunt, delevisse. At nonne spiritus, quo tinctura nostra fit, omnes plantae dotes extrahit et solvit? Illam tuto et cum fruge dari posse monuit Meadius; imo tanquam optimum menagogum vir ille ornatissimus hanc tincturam commendavit. Helleborum etiam tanquam egregium ad urinas ciendas remedium laudavit Friendius *; sed quae de helleboro suo antiqui dixerunt, illa ad hunc suum transtulit Bacherus, eumque depinxit utpote remedium sua natura, priusquam vires ejus praeparatione mitigatae fuerint, maxime formidandum. Verum eadem illi, quae nobis, planta in usu est, scilicet helleborus niger, foliis angustioribus, flore roseo, Tournefortii. Sed hujusce plantae descriptio minime cum illa, ab antiquis usitata, convenit. Placuit ingeniosissimo huiusce aetatis medico helleborum antiquorum haud alium fuis-

* V. Friend's history of Physic.

se, quam qui a Tournefortio describitur sub nomine „ hellebori nigri orientalis, „ amplissimo folio, caule praealto, flore „ purpurascente. " Laete enim crescit haec species circa montem Olympum et in insula Anticyrae ob helleborum suum olim adeo celebri. Hujusce plantae scrupulus unus, uti docet Tournefortius, convulsiones excitat. Species altera a granis quindecim ad drachmam dimidiam sumpta nonnisi alvum fortiter commovet. Pilulae Bacheri, quarum singula dosis grana quinque continet, ad tres vices, horae intervallo, repetitae initio alvum laxant, deinde fere urinas solum proliciunt. Sed quo jure vim peculiarem (ne dicam specificam) huic suo remedio tribuit Bacherus? Hydropici quorum historiae a celeber. Richard narrantur, aliis plane medicamentis, *sed eodem regimine* utentes, eventu pariter felicissimo curabantur.

Haec, prius quam ex Anglia exirem, apud Gallos praxis obtinuit. Viennae, celebris medicinae scholae, ipse nosocomia frequentans Hydropicorum numerum qui a nosocomio, quod Pazmannianum dicitur, sanati dimittebantur, non potui non admirari. Egregius nosocomii istius medicus

Henricus Collin varia medicamenta adhibuit, nunc tartarum vitriolatum, nunc colchicum autumnale ab illustriss. archiatro Stoerk adeo commendatum, nunc cremorem tartari, aliaque optima remedia *. At haec ipsa diuretica quae alibi medicorum spem toties fallere vidimus, ibi pene certum urinas ciendi et tumores Hydropicos diminuendi (quamvis non semper morbum profligandi) effectum habuere. Sed quod notatu dignum, potus etiam aquosi et diluentes aegris ad libitum cum remediis concedebantur.

In immensam plane molem libellus cresceret, ad historias Hydropicorum enumerare vellem quos, quos, variis aquis medicatis sanatos, auctores memoriae tradiderunt. Satis superque dictum est, ut in propatulo sit quantum potus diluentes diureticorum vires promoveantque, quantumque ideo Hydropi medendo conferant.

Hisce animadversis, disquiramus paululum, nam hae exterorum praxes cum Hippo-

* Proxime in publicum edetur, Dissertatio a peritissimo medico Henrico Collin de virtutibus quorundam diureticorum, quorum nomina publici juris facere mihi per eum non licuit.

Hippocratis legibus conveniant. Duobus modis vel medicamentis, vel diaeta sola huic malo occurrebat sagacissimus. senex. Sed quo rite illius in hac parte disciplina intelligatur, necesse est ut sua de rebus physicis principia breviter exponamus. „ Pro-„ pria et proxima nostri corporis elementa, „ ait Galenus, esse quatuor humores affir-„ mamus: omnium vero communia, humi-„ dum et frigidum, calidum et siccum: ut „ ducto a qualitatibus nomine ex Hippo-„ cratis sententia, elementa nominemus. „ Et ex illorum mediocritate vel immode-„ ratione sanitatem morbumqne constare et morborum remedia a contratiis duci *. “ Monet itaque Hippocrates ubi humidae qualitates vel elementa abundant, per substantias, in quibus sicca elementa vel qualitates dominantur, oppugnanda: ubi frigida elementa nimia sunt, rebus quae calidis virtutibus sunt praeditae, curanda. „ Nam „ non solum humores nostri, sed rerum „ omnium natura, uti Hippocrati placuit, „ ex humido et sicco, ex frigido et ca-„ lido constat, ideoque res omnes, prout

* V.. Galeni in lib. Hipp. de Humoribus Comment. i. Edit. Chart. vol. viii. p. 513.

„ haec vel illa elementa abundent, aut „ humectant, aut exsiccant, aut refrige- „ rent, aut calefaciunt. Inter vina alia „ humida, alia sicca, alia frigida, et alia „ calida. Vina nigra et austera sicciora sunt: „ alba et austera calefaciunt: tenuia dul- „ cia humectant: vina acida refrigerant *. " Hinc verus axiomatis, *humidum per siccum curandum*, a veteribus adeo decantati sensus intelligi potest. Ne vero quisquam exinde Hydropicis liquida denegandi temere ius sibi arroget. Non enim fluida dicto isto prohibentur, sed ea sola quae humectant; ea vero fluida quae exsiccant, hic apprime convenire Hippocrates docet. Itaque, *in diaeta* vinum austerum commendat, et diserte monet „ vinum illud ad robur „ et ad siccitatem esse commodum **. " At vero non eadem illius disciplina est quum res *medicamentis* agatur; tunc enim sorbitiones et ptisanas porrigit.

Rationes harum rerum in legibus, quas de remediis in genere exhibendis Hyppocrates dedit, petendae sunt. Utile igitur

* V. Hipp. Oper. Edit Foesii, Sect. v. p. 26.
** V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. v. 90. Edit. Chart. vol. vii. p. 636.

erit illas breviter ob oculos ponere. Statuit primo, sorbitiones omnibus in morbis dandas, aut ptisanam aut millium aut farinam aut alicam, haec vel illa, prout sua cujusque morbi postulet natura. Potionibus autem utendum: si quidem aut alvum aut vesicam subducere velis, vino dulci aut aqua mulsa: sin adstringere, austero albo tenui aquoso: sin robore, vino austero nigro. Qui vinum timide bibunt iis potiones praeparatae et in medicamentorum tractatione descriptae exhibendae *. " Praeceptum Hippocratis, corpora quum purgare quis velit, ea humida faciat oportet, sive vomitibus sive alvi subductione purgatio facienda sit, " monente Galeno, non de acutis solum sed etiam de morbis diuturnis intelligendum est **. Itaque prius quam medicamenta purgantia exhibuerit, voluit Hippocrates semper corpus vel cibis vel quiete vel calidis fomentis vel alio quocunque modo praehumectari. Quales autem cibi humectent, aperte declarat, dum monet " Cum

C 2

* V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. v. p. 86.
** V. Galen. Comment. Edit. Chart. vol. viii. p. 515.

„ laborantis alvum cibis humectare velis,
„ mazam et obsonia exhibeto: marinorum
„ autem frustula cocta ex intrito; oviculae
„ quam tenerrimae carnes, aut haedi, aut
„ catuli, aut volucris coctas; et be-
„ tam aut blitum aut rumicem aut cu-
„ curbitam, si anni tempus tulerit; olera
„ vero apium aut anethum et vinum mel-
„ litum vetus album aquosum. Quum au-
„ tem corpus siccare vellis, panem dato;
„ et obsonia assa et sicca eaque omnia ca-
„ lidiora, et carnium partes carnosas, pi-
„ sces saxatiles: olera rutam aut thymum,
„ aut origanum. Vinum autem nigrum au-
„ sterum. Obsonia vero sale et cumino con-
„ dito: reliquis condimentis quam minime
„ utitor *. " Eadem de corpore praeparando et de remediis administrandis praecepta quae simplici et concinno sermone dedit Hippocrates, multis opinionum commentis implicita tradit Galenus: additque
„ Postquam purgatio assumpta fuerit, con-

* In alio loco de victu exsiccante Hippocrates ita loquitur, « Qui sicco victu vivunt, his cum cibo » potum ne exhibeto, sed multo post cibum tempore » interposito. " Hanc vero cautelam, quum de Hydrope tractat, repetitam non video. V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 635.

„ fert Ptisanam supersorbere, ut ait Hip-
„ pocrates." Varias rationes cur Hippocrates in hoc loco Ptisanam jusserit, subjungit. Eas vero hic recensere operae pretium non judico. Nostro sufficit proposito, quod sorbitiones omnibus in morbis Hippocrates commendaverit, quod potiones, si aut alvum aut vesicam subducere velis, jusserit; quod, priusquam purgantia dederit, corpus humectari voluerit; quod, dato medicamento; Ptisanas supersorbendas porrexit. At illud porro nobis jam incumbit oneris atque res postulat ut ostendamus, quomodo haec in genere monita ad specialem Hydropis curationem applicaverit, et in usum reduxerit.

A pituita magnum Hydropum numerum deducit Hippocrates, et plane apud Lommium, Meadium, aliosque maximi nominis medicos, leucophlegmatias (qui nonnisi vetustior pituita est) et Hydrops perinde sonant. Ea tamen Hippocratis fuit disciplina ut leucophlegmatiam potius tanquam statum corporis in Hydropem vergentem quam ipsum Hydropem censeat. Sed quum Hippocrates ipse iisdem medicamentis in leucophlegmatia ac in Hydrope debellando utatur, theoretica illa, quam in-

ter hos duos morbos posuit, distinctio haud magni facienda est; neque ostat quo minus, quae in illa profliganda ubique commendaverit, in hoc etiam depellendo credamus utilia. Proferemus itaque Hippocratem de specie illa Hydropis, leucophlegmatia, disserentem. „ At si alvus sponte
„ turbata non fuerit, cneoro dato aut hip-
„ pophae, grano cnidio vel magnesio
„ lapide, purgare oportet, e post pur-
„ gationem, lenticulae heminam * unam
„ sorbendam vel duas dato (in lenticula
„ autem allium concoquatur). Beatae etiam
„ pinguis non condirae tryblium, polenta
„ super aspersa. Vinum autem bibat ni-
„ grum austerum et valens. Postero vero
„ die mane stadia viginti obambulet. At
„ reversus panem exassatum parvum come-
„ dat, et obsonium allium coctum habeat;
„ vinique ejusdem pauculum meracius bi-
„ bat; deinde stadia triginta ambulet,
„ quumque tempestivum fuerit. quantum
„ prandere consueverat, coenet. – Judica-
„ tur triginta diebus lethalis sit necne.
„ Transactis autem triginta diebus sorbitio-

* Hemina est dimidia pars sextarii. Sextarius est sexta pars congii.

„ nibus utatur lenticula cocta ab aceto aci-
„ diore, et ptisana acida, bibat vero aquam
„ mulsam tepidum, modica polenta in-
„ spersa, QUO SANE TURGEAT CORPUS * ad
„ medicamentorum potionem **. " Primo, si alvus non sponte dejecta fuerit, eam medicamento Hippocrates subducit: post purgatione, lenticulam, in qua allium concoctum est, porrigit, dein corpus vino austero, quod ad robur et ad siccitatem est commodum, reficit. Tunc exercitia monet, et inter illa nonnisi panem parvum, et al-

* *Ινα γουν ωςγισμενον το σωμα ῃ*. Haec verba exponit Charterius, " quo sane turgeat corpus, "
„ et Foesius " quo sane corpus emollitum sit. " Sed et hic et ille forsan minus apte. Οςγιξω idem significat ac *οςγαξω* incito, promptum reddo, *ετοιμον ποιω*. Hesychius *ωςγατο* exponit *εν ετοιμω ην*, et *οςγασαι πηλον*, *ετοιμον παςεχειν*, sive *ετοιμωσαι*, Sic apud Aristot. Probl. Sect. 2. ubi de sudatoriis sive de laconicis agit: *το δε ολιγον μαλλον την σαςκα ανιεν, αυτην τε αραιοῖ και τα εντος καθαπες οςγαξει πςοσ την διακςισιν και εξαγωγην*. Οςγισασθαι apud Hippocratem Erotianus exponit, *οςμην εχειν πςος τι*, sicut *η γη* dicitur *οςγαν πςος την εκβολην τȣ καςπου*, quibus addit *ὄςγιξασθαι* „ eum dixisse, *το*
„ *εις παςαςιν ςασιν αγαγειν τα υγςα και πςος εκκςισιν*
„ *ετοιμαξειν*. " Hic textus itaque mihi melius verti posse videtur, *quo sane corpus sit praeparatum ad medicamenti potionem*.

** V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 654.

lium concoctum est, porrigit, dein corpus vino austero, quod ad robur et ad siccitatem est commodum, reficit. Tunc exercitia monet, et inter illa nonnisi panem parvum, et allium coctum, et vini ejusdem pauculum meracius concedit. Aegrum insuper jubet impransum degere et triginta stadia ambulare, quo omnis omnino humoris morbosi moles exercitationibus exantlata foret prius quam aliis a novo cibo succis corpus impleatur. Simili modo in quarto renum morbo qui, uti Hippocrati placuit, a bile et pituita generatur, quo exhauriantur penitus humores morbosi, diminuit cibum eadem ratione qua auget exercitia: corpus inde inanitum reficit, sensim augendo cibum et diminuendo deambulationes *. Valida illa exercitia in Hydrope hisce usibus optime inserviunt, ut corpus roborent, ut humores aquosos per cutis spiracula dispergant, ut superflua per varios corporis exitus amandentur. Docet Galenus, " Quemadmodum exercitia siccare
" nata sunt: ita etiam quies (quid sit
" otium et ab exercitiis vacatio) humidi-

* V. Hippocrat. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 651.

„ tates servare *. “ Hinc quies ante medicamenta purgantia saepe ab Hippocrate commendatur, quippe quae ad corpus humectandum conferat. Sed morbo exercitiis nondum devicto, neque triginta diebus judicato, medicamentis rem gerere Hippocrates molitur. Quam ob rem monet, “ Tran-
„ sactis autem decem diebus haec quidem
„ faciat. Primis autem diebus, sorbitioni-
„ bus utatur et ptisana. “ Porro aquam mulsam tepidam exhibet eo diserte consilio, *quo sane corpus ad medicamenti potionem praeparetur*.

Hippocrates in sequenti capite Hydropem a pituita tenui ortum tractat, monetque “ Huic ventrem siccare confert, “ et diaetam qua illud fieri voluit, et de qua mox sermo erit, praescribit, simulque cum cibis vinum nigrum crassum commendat. Dein subjungit. “ Ac si quidem ab his
„ restituatur, satis est: sin minus, ei cneo-
„ rum aut hippophaes succum aut granum
„ cnidium propinato; et post purgationes
„ duas lenticulae heminas supersorbeat: et
„ panem parvum comedat. Vinum autem
„ bibat nigrum, acerbum, paucum. Medi-

* V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. x. p. 471.

„ camentum autem bis in die quoad * mollis fit venter, bibat. Quod si in scroto „ aut femoribus, ac tibiis tumor constiterit, peracuto scalpello, multis et crebris „ vulnusculis scarificato. Haec si feceris, „ cito sanum facies. “ Hic quaerat quisquam cur dum in medio capitis vinum in cibis, quantitate non restricta, Hippocrates commendaverit, et sorbitiones sub fine ad quantitatem duarum heminarum aegris porrexerit, panem nonnisi parvum et vinum paucum nunc concedat? Quum Hydropem a pituita tenui ortum diaeta sicca profligare molitur, panem et vinum quantitate non restricta commendat. Nam utraque, quum sint sicca et calida, recte humidae et frigidae pituitae naturae opponuntur. Si ab his (illis scilicet, quae ad siccam diaetam pertinent) inquit Hippocra-

* Πινετω δε φαρμακον δις της ημερης, εως αν λαπαρος γινηται, “ medicamentum autem bis in die, „ donec mollis fit venter, bibat. “ Mallem hunc textum vertere, “ Bibat autem medicamentum bis „ in die donec vacuus fit. “ Proprie enim λαπαρος significat inanis, vacuus. Dicitur aliquando speciatim de ventris inferioris vacuitate. Λαπαρη et λαπαρον dicitur pars ea corporis quae posita est inter costas nothas et ossa quae ad ilia pertinent. Ratio nominis est quod inanis sit et desideat.

tes, restituatur, satis est: sin minus, purgantia danda et sorbitiones quae humectant, exhibendae, quo alvus humida reddatur et facilius medicamentis obsequatur. Vinum austerum quantitate non restricta cum cibis post purgationes quandoque porrigit. Sed quum cathartica fortiora dantur, et praesertim quum solito saepius ingeruntur, tum ante eorundem exhibitionem tum durante illorum operatione, et panem et vinum nonnisi parva copia sumenda docet. Neque haec in Hydrope solum, sed eadem quum res purgantibus agenda est, in aliis morbis praecipit. Ita dum in lienis morbo veratrum et granum cnidium porrigit, panem et vinum nonnisi parva quantitate indulget *. Medicamenta ex grano cnidio et hippophaes succo Hydropicis, de quibus hic sermo est, bis in die porrigit. Et profecto, si multum panem multumque vinum cum sorbitionibus quae humectant, et cum purgantibus illis, quae humectantia postulant, dedisset, omnino contraria simul ingessisset, et inter se pugnantia. Panis et vinum jam antea inter siccantia recensita sunt. " Quum autem corpus siccare velis,

* V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 662.

„ panem dato, et obsonia assa et sicca; „ eaque omnia calidiora," et alibi docet: „ Ideo repentinam repletionem panis cali- „ dus inferre dicitur, tum quod exsiccet, „ tam quia tarde descendat *. " Et por- „ ro " panes calidi quidem siccant, frigidi „ vero minus, gracilitatem tamen quandam „ inferunt **. " Vinum pariter siccat et „ sistit alvum. Hae sunt illae opiniones quae Hippocratem in animum induxisse videntur, ut panem et vinum, dum purgantia bis in die bibuntur, nisi parva quantitate, prohibeat. Qui ex hoc textu, uti fecerunt Ill. Baro van Swieten aliique, liquida et vina, nunquam nisi parca copia, Hydropicis Hippocratem concessisse asseruerunt, nae illi, uti magis adhuc postea patebit, in disciplina divini senis parum se intelligentes arguunt. Pari jure quisquam diceret panem etiam Hydropicis nocivum esse et nunquam, docente Hippocrate, nisi parva quantitate sumendum; nam panem aeque ac vinum quum purgantia bis in die dantur, prohibet. Utraque vero, quum diaeta sicca res geritur, nullaque medica-

* V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. iv. p. 59.
** V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. iv. p. 23.

menta exhibentur, maxime laudat; quippe quae ad robur et ad siccitatem corpori conciliandam conferant.

Proximo loco de Hydrope pulmonis vel pectoris Hippocrates tractat, quem paracentesi curat. Dein de Hydrope ex hepate verba faciens, monet " Hydrops ab
" hepate oritur quum ad hepar pituita ac-
" cesserit eamque hepar exceperit et hu-
" mectum redditum fuerit. Quamprimum
" igitur ardorem huic praebet et flatum
" excitat. Deinde vero tempore aqua im-
" pletur. Posteaque in corpus morbus in-
" cidit. In tibiis et pedibus tumor est.
" Hepar durum ac tumet. Huic quum ita
" se habuerit, per morbi exordia si Hepar
" doluerit, origanum tritum et laseris suc-
" cum; Ervi quantitate in vini albi hemi-
" na dimidia macerata potui exhibeto; et
" lactis caprini poculum quatuor hemina-
" rum, tertia aquae mulsae admixta parte.
" Primis autem decem diebus cibis absti-
" neat. Hi namque morbum lethalis sit
" necne, dijudicant. " Ptisanae cremorem,
" melle affuso, coctum sorbeat. Vinum
" autem album mendaeum aut aliud suavis-
" simum bibat. Quum vero decem dies
" praeterierint, cibos puros assumat et pro

„ obsonio Galli Carnes assas calidas ha-
„ beat, sed habeat etiam catulinas coctas:
„ pisce vero Galaeo et torpedine assatis
„ utatur. Vinum autem idem bibat *. "
Primis decem diebus, dum hepar adhuc laborat, aegrum cibis abstinere vult, sed porrigit origanum tritum cum laseris succo et lac caprinum quantitate quatuor heminarum cum tertia aquae mulsae admixta parte, quo alvus laxetur. Cremorem ptisanae cum melle et vinum aquosum suave aegro propter vitium in hepate convenire docet. Nam humectant et detergunt et urinas etiam movent. Quum vero decem dies praeterierint, quasi adhuc de ardore in hepate timor superesset, temperat galli carnes cum carne catulina, idemque vinum exhibet. Carnes enim juniorum animalium et vinum aquosum humectant, et inflammationi occurrunt. Hucusque de anasarca crurum pedumque ex hepate agit; sed in sequenti capite docet. " Si ascites ab hepate oria-
„ tur et aqua in ventrem erumpat, iisdem
„ medicamentis et *potibus* et cibis et exer-
„ citationibus quibus priores curato. Vinum

* V. Hippocrat. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 657.

„ autem austerum nigrum bibat * . " Ex his clare patet Hippocratem liquida etiam ascita laborantibus adeo non negare ut iis easdem cum medicamentis potiones, ac prioribus, commendet: sed loco vini aquosi cum cibis vinum austerum dat, quippe quod (uti alibi docet) roboret et exsiccet. De paracentesi deinde loquitur, monetque. " Quod si ab hepate decedere vi-
„ deatur, [scil. aqua] ubi apparuerit,
„ ferramento inurito et aquam paulatim
„ educito, velutque reliquos priores cura-
„ to ** . " Hippocratis opinio fuit, Hydropem ab hepate oriri quum pituita ad hepar accesserit, eamque hepar exceperit, et humectum redditum fuerit. Monet autem aquam, simul ac ab hepate decedere videatur et in ventrem defluere, educi oportere. Docuit etiam egregius medicus Johannes Fothergill, paracentesim instituendam, dum adhuc recens malum est, eamque minime donec morbus inveteraverit, aut per moras invaluerit, esse differendam. Sed illud (uti quidam voluerunt) huic methodo incommodi inest *, nempe quod

* V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 657.
** V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 657.

jure metuendum sit, ne, si more usitato, venter pertundatur, priusquam aquis summopere distentus fuerit, intestina laedantur. Sed huic periculo, ventrem caute lanceola vel scalpello incidendo, facile occurritur. Eum inurendum et aquam paulatim educendam voluit Hippocrates. Imo certam mortem e contrario pradixit. « Qui empyi, » inquit, aut Hydropici uruntur aut secan» tur, pure aut aqua confertim effluente, » omnino intereunt *. « Et Galenus in commentario ad hunc textum monet: " Ab „ Erasistrato etiam scriptum est de Hydro„ picis tum subtilius tum copiosius: atque „ is experientia compertum et comproba„ tum habere se dicit, universim factam „ evacuationem febres et mortem adferre." „aracentesim multum Celsus etiam laudat: Puamvis enim, ipso fatente, non sanat qmissus humor, tamen medicinae locum faeit, quam intus inclusus impedit. Varias ct probatissimas operationem faciendi meehodos recenset; et, cur ustio sectioni praetata fuerit, docet. " Quidam autem, ait, l, sub umbilico fere quatuor interpositis di„ gitis

* V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. ix. p. 263.

„ gitis a sinistra parte: quidam ipso umbi-
„ lico perforato facere consuerunt. Qui-
„ dam cute primum adusta, deinde inte-
„ riore abdomine inciso, quia quod per
„ ignem divisum est, minus celeriter coit." Mucrone autem latitudinis tertiae digiti partis vulnus facit, et monet," Eo tum plum-
„ bea aut aenea fistula injicienda est et
„ per hanc effundendus humor est. Atque
„ ubi major pars ejus evocata est, clau-
„ denda, demisso linteolo, fistula est, et
„ in vulnere, si ustum non est, relinquen-
„ da. Deinde per insequentes dies circa
„ singulas heminas emittendum donec nul-
„ lum aquae vestigium appareat *." An ideo infelix plerumque hodiernis temporibus paracentesis evasit, quia sero et modo parum apto peracta est **? Actum enim

* V. Celsi lib. vii. cap. xv.

** La ponction, quoique necessaire dans certains cas, est cependant d'une rossource aussi foible que les hydragogues; et l'on sait trop que cette operation qu'on ne doit pratiquer que quand elle est veritablement indispensable, puisque par elle meme elle ne sauroit remedier aux causes, est presque toujours suivie d'un epanchement plus abondant et successivement moins curable. V. Observat. de Medécine, fait et redigé par M. Ricard, vol. ii. p. 361.

pene et conclamatum de aegris, priusquam aquae paracentesi hodie educuntur; praeterea non paulatim sed simul et semel emittuntur, unde forsan quodammodo evenit, ut morbus fere cito sit recidivus. Vasa enim aquarum pressione subito privata impulsis a corde humoribus facile cedent et exinde aquis denuo affatim colligendis ansa praebebitur. Species illa fasciae * a celeberrimo professore Edinburgensi Alexandro Monro inventa et descripta, quae, antequam operatio instituatur, circumducitur abdomini tumido et per fibulas successive prout aqua effluit, constringitur ut semper maneat aequabilis pressio, in lethali syncope praevenienda quae a sanguine subito in vasa antea ab aquis compressa irruente et cerebrum deserente metuenda est, votis optime respondent. Sed an externa ulla abdominis compressio pressionem ab aquis interna vasa undique sustinentibus factam compensare queat, iure dubitetur? Fasciae illae verisimiliter magis utiles forent, si, aliqua humoris parte adhuc relicta et sen-

* V. Medical Essays of Edinburgh, ubi fasciae illae tabulis aeneis exprimuntur. Quamvis optime usui destinato hae fasciae inserviant, mirum profecto mihi visum est tam raro in hac urbe usurpari.

sim postea educenda, adhiberentur. Nam horum adminiculorum junctis viribus conspirantium ope, vasa sensim sese contrahere et fortius tenuium humorum transmissioni sese possent opponere. At; aiunt, si antiquorum more paracentesis fiat, si partitis vicibus aquae educantur, debet canula in abdomine manere, unde saepe inflammatio in omni ambitu nascitur, dum contracta et corrugata abdominis integumenta ad duram cannulam premuntur et affricantur, respirationis motu *. Si auferatur cannula, exiguum illud vulnus brevi concrescet vel saltem sic contrahetur, ut non possit absque vi adhibita denuo introduci, unde frequenter molesta mala sequuntur. Si haec ita sint, si cannula in vulnere sine magno incommodo relinqui nequeat, cur non, uti dudum monuit Caelius Aurelianus, alio in loco divisura facienda; et, si rursum oporteat, tertio.

Sed illud metuendum auctores voluerunt, ne per liberum aeris accessum putredo acceleretur. Quamvis enim nondum computruerint aquae in cavo abdominis, utpo-

* Swieten Comment. vol. iv. p. 291.

te ab omni commercio cum aere externo seclusae, tamen saepe adeo putredini proximae sunt, ut accedente aere cito corrumpantur. Sed si debitis cautelis operatio fiat, si, sub aquarum effluxu cannulae foramen claudatur, aer nequit intrare neque ullum exinde malum aegro imminet. In pectoris Hydrope Lowerus et Willisius cannam argenteam in lateris foramine reliquerunt et partitis vicibus humorem eduxerunt *. Si illud tuto in Hydrothorace fiat, idem tuto in ascite suscipiendum duxi: optimorum itaque medicorum exemplis fretus, foeminae, quae paracentesim in nosocomio quodam antea methodo consueta subierat et cuius res tantum non desperatae fuere, ventrem iterum summe distentum pertundendum et humorem, relicta in vulnere, sub cautelis supradictis, cannula per tres dies insequentes partitis vicibus emittendum monui. Quaedam profecto inflammatio in vulneris ambitu oriri visa est: at cito evanescebat et vulnus optime coibat. Dispulso tam pedum crurumque quam ventris tumore post duos menses mulier e nosocomio exivit. An morbi reditus hac me-

* V. Th. Willis Pharmac. Ration. p. 216.

thodo praecaveatur, eventus nondum docet. Sed ea certissime ex hoc experimento jure concludi possunt; nempe primo quod inflammatio, si suboriatur, non sit metuenda; secundo quod nullum, si debitis cautelis cannulae foramen claudatur, ab aeris accessu periculum immineat.

In capite vigesimo-septimo de Lienis inflammatione et huic succedente Hydrope Hippocrates verba facit. Primo inflammationi occurrit, dein addit „ Quod si pro-
„ creetur Hydrops, per eadem et iisdem
„ quibus etiam priores, curato.“

Transeamus jam ad ea quae de Hydrope universali Hippocrates notavit, “ Hic
„ Hyderus ab his oritur. Quum quis ex
„ longo viae itinere in aquam pluviam in-
„ ciderit, eamque avide copiosam biberit.
„ Is autem hoc modo curatur. Huic quum
„ sic habuerit, cneori aut hippophaeas suc-
„ cum aut granum cnidium exhibeto. Haec
„ vero medicamenta sic exhibere oportet.
„ Cneorum sexto die, hippophaes vero suc-
„ cum octavo et granum cnidium decimo.
„ Eaque dare oportet quoan expurgetur et
„ mollis fiat. Intermediis vero diebus ea-
„ dem, quae prior, in cibo sumat. Potis-
„ simum vero ejus aquae ex qua morbus

„ corripuit , quam plurimum propinato ;
„ quo ejus ventrem turbet et multum deii-
„ ciat. Sic enim maxime sanum facies.
„ Quod si tibi videatur, crebro etiam clys-
„ tere opus esse, ex cneoro trito ad di-
„ midiam heminam, mellis tertia heminae
„ partem diluto, deinde sic clystere sub-
„ luito, et lactis asinini postero die affuso
„ melle octo heminas exhibeto aut injecto
„ sale propinato. Post purgationem iisdem,
„ quibus priores, utatur eodemque modo
„ deambulationibus. Extenuatus autem iis-
„ dem ad curationem uti debet. Prius au-
„ tem ejus corpus calidis fomentis praehu-
„ mectare oportet, quo magis medicamentis
„ obsequatur *. " Hoc ultimum de Hy-
drope universali caput tanquam remediorum quibus in hoc malo curando hippocrates ubique usus fuerit, compendium censeatur. Purgantia exhibet et clysteres cum grano cnidio et betae succo. Lac cum melle aut sale ad quantitatem octo heminarum propinat, et post purgationem iisdem, quibus priores, uti jubet eodemque modo deambulationibus. Imo magna aquarum mole, excretiora contracta et collapsa reserare mo-

* V. Hipp. Oper. vol. vii. p. 658.

litur. Dum historias Hydropicorum aquis medicatis curatorum, et a celeberrimo nuper medico Italo Cocchi narratas refert van Swieten, hunc ultimum Hippocratis de aqua porrigenda textum citat, et ingenue sed cum admiratione quadam fateri videtur: „ Quamvis enim hic aquarum medicatarum „ nulla fiat mentio, tamen apparet quod „ aquam collectam in corpore per aquam „ collectam in corpore per aquam copiose „ potatam expellere de corpore conatus „ fuerit " Hippocrates *. Monet porro Hippocrates morbo extenuatum iisdem ad curationem uti debere: sed priusquam medicamenta capienda, aegri corpus fomentis praehumectandum voluit eo consilio „ quo „ magis medicamentis obsequatur. " Sciunt omnes qui in hoc morbo medendo versantur, in provectiori illius statu cutis poros maxime bibulos fieri. Fomenta itaque ad corpus undique aequaliter humectandum efficacissima erunt. Utile porro haec verba documentum suppeditant, ut caveamus, ne ullo in casu, (si Hydropicum juvat humectare) corpus aridum et exsuccum sine praeparatione acribus lacessamus remediis.

* V. Swieten Comment. vol. iv. p. 222.

Sparsim alibi hic et illic in scriptis suis Hippocrates de variis Hydropis speciebus disserit. Ita in libro de victus ratione in morbis acutis, legere est " Hydropum
„ cum duae sunt naturae hic quidem qui
„ Hyposarcidios (velut sub carne) dici-
„ tur , ubi hominem aggreditur , evitari
„ non potest . Alter vero cum flatibus
„ multam felicitatem ad curationem requi-
„ rit praecipueque multos labores , fotum
„ et temperantiam . Sicca edat et acria
„ nempe cum hac ratione plurimam urinam
„ reddat et maxime viribus valeat. Quod
„ si difficultate spirandi teneatur , anni
„ tempus aestivum fuerit , aetas vigeat ,
„ et virium robur adsit, sanguinem ex bra-
„ chio detrahere convenit : deinde panes
„ calidos vino nigro et oleo intinctos edat,
„ quam parcissime bibens, quamplurimum
„ laboret , suillaque ex aceto cocta vesca-
„ tur, ut asperis obambulationibus relucta-
„ ri possit *. "

In legendis Hippocratis operibus maxime interest ut ea quae aut certe genuina sunt aut probabili ratiocinio ad Hippocra-

* V. Hipp. Oper. Edit. Foesii , Sect. iv. p. 75.

tem referuntur, ab illis quae falso illi attribuuntur, caute distinguamus. Hoc si negligas, efficies, uti monuit Hallerus *, ut Hippocrates tuus sibi seepe manifestissime obloquatur. Illud itaque de hoc libro observandum est, quod quae in illo continentur, post eum, qui de balneis est, sermonem plerique medicorum Hippocratis non esse suspicati sunt. Athenaeus dimidium hujus libri nothum et illegitimum esse scribit. Augustinus Gadaldinus qui hujus libri codices manuscriptos Graecos tres viderat, confuso et corrupto textu scatere docet. Galenus multa passim in hoc libro habet suspecta, et hic acriter suo more in aliorum errores seu ignorantiam insectatur, dum asserit „ Multa sane, ut dixi, in hoc „ libro probe dicta sunt, ob quae et iis „ quae sunt non recte, nonnulli fidem adhi- „ buerunt, magisque qui sibi conscii fue- „ runt, ut critica scriptorum scientia non „ praediti **. “ *H*unc ipsum quem citavimus textum tanquam absurda et incongrua continentem Galenus profert. Varia plane,

* V. Halleri Bibliotheca Medicinae Practicae, vol. i. p. p. 110.

** V. Galen. Comment. in Hipp. Edit. Chart. tom. xi. p. 178.

ad varios morbos spectantia, hic unum in locum nullo ordine aut nexu mihi congesta fuisse videntur. Primo *H*ydropum duas esse naturas docetur: quorum una, scilicet anasarca, omnium forsan maxime curabilis, adeo lethalis est (si huic textui credamus) ut evitari non possit. Et plane, quasi res omnino fuisset desperata, de illius cura *H*ippocrates ne verbum quidem dicit: sed alterius speciei, quam ex flatu constare ait, curationem scribit. Venaesectio, si anni tempus aestivum fuerit et virium robur adsit etc. ad respirationis difficultatem tollendam laudatur. An sicca et acria, an panes calidi in vino e oleo intincti (qui exsiccant et calefaciunt) an valida exercitia et parcus potus aegro conveniunt, cui propter respirationis difficultatem sanguinis missio apta fuerat? Acria quae *H*ydropis *H*ippocrates fere porrigit, sunt allium et id genus alia. At quaenam sunt allii secundum *H*ippocratem proprietates. " Allium flatum „ parit et caliditatem circa thoracem facit, „ capitis gravitatem et anxietatem parit, et „ si quis alius dolor fieri consueverit, eum „ graviorem reddit *. " Quamvis allium

* V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. iv. p. 74.

Hydropicis fere convenit, quippe quod excretiones promoveat, anne credibile est Hippocratem quum flatus et difficultas respirationis jam adsint, illud commendasse quod ad haec ipsa incommoda vel inferenda vel augenda aptum sit. Quum pituita ad hepar accesserit, et cum effusione Hydropica ardorem excitaverit et flatum, non sicca et acria Hippocrates commendat sed humectantia sed lac cum aqua mulsa et vinum aquosum suave, et primis decem diebus cibis abstinere jubet. Pulmonum inflammationi vel respirationis difficultati cum pulsu duro recte venaesectione etiam in Hydrope occurritur. Convenit etiam forsan in hoc rerum statu liquida caute et parce porrigere, ne impedito per pulmones sanguinis transitu humor in thoracem et in alia corporis cava sese insinuet, quod verisimiliter eveniret si obtinente respirationis difficultate, exercitiis hic monitis cum multo potu aeger uteretur. Sed minime convenit de hoc textu ratiocinari qui in omnibus suis partibus corruptus et confusus esse videtur. Magis Hippocratem redolent quae alibi in hoc libro leguntur, ubi medicamenta pro aqua inter cutem laborantibus parat, monet; " Squamae aeris specil-

„ la tria latitudine cum farina setania ag-
„ glutinentur, haec leviter trita in catapo-
„ tia convolvantur, denturque; deorsum
„ aquam purgant, etc. “ et paulo post
„ Meconium peplum terito, aqua affusa
„ percolato, et farina subactum in placen-
„ tam coque, mel coctum affundens, Hy-
„ dropicis edendum exhibe, ac superbiben-
„ dum vinum dulce aquosum vel dilutam
„ mulsam porrige *. “ At vero, nisi illa quae hoc loco dicta sunt cum illis congruerent quae in libro de internis affectionibus leguntur (cujus auctoritatem nemo in dubium vocavit) hisce fidem adhibere nollem. Cur mulsam in hoc morbo Hippocrates commendaverit, exinde patet quod docuerit, “ Ciet autem urinas abunde mul-
„ sa, nisi ex visceribus aliquod prohibue-
„ rit **. “ Patet itaque ex praemissis; Hippocratem et sorbitiones et ptisanas cum medicamentis in Hydrope exhibuisse et aquam mulsam ea dedisse mente, *** *quo sane corpus ad medicamenti potionem praeparetur* — Lac quantitate quatuor et octo

* V. Libr. de victus ratione in morbis acutis.

** V. Libr. de victus ratione in morbis acutis.

*** *Ἵνα γοῦν ὠργισπένον το σωμα ἡ προς την φαρμακοποσίην.*

heminarum et aquam ipsam magna copia eundem ingessisse — et porro, ubi res postulavit, hominis Hydrope universali extenuati corpus fomentis praehumectari eo jussisse consilio, * *quo facilius corpus medicamentis obsequatur*. Dum igitur optimus apud Vindobonenses medicus Henr. Collin cum medicamentis potus diluentes aegris suis porrigit; dum Bacherus illorum corpora qui pillulas hellebori capiunt, jusculis potibusque varii generis copiose ingestis humectat, minime ab Hippocratis legibus ablusisse videntur. Quam longissime ab illius methodis aberrant qui potum semper, uti solemne fuit, quam parcissimum suadent, qui nullis adhibitis cautelis, nulla praegressa corporis humectatione, acerrimis purgantibus alvum lacessunt, qui ad urinas ciendas varii generis salina tum alcalina tum composita, quae sitim augeant febremque intendant, nullo cum potulento, quo facilius illis corpus obediat temere ingerunt. Haec tamen in variis auctorum libris monita leguntur, hae nimium praevaluerunt, hae nimium hodie praevalent praxes. Hinc

* Ὁκως ἂν μαλλον των φαρμακων υ'πακου'η.

illae ubique de remediis irritis et debilibus querelae. Quum urinas elicere medici voluerunt, potiones denegando suis plerumque exciderunt ausis. Exteri verum Hipporcaticumque medendi morem restituendo et potiones dando, quum aut alvum aut vesicam subducere voluerint, usitatis remediis insolitas addiderunt vires et exinde aegris solamen et sibi famam conciliarunt.

Diaetae solius auxilio Hydropem depellere interdum Hippocrates aggreditur. Pauca itaque hic de cibis praemonenda.

In debili corpore alendo summa semper cura adhibenda, ut quae ingerantur, quam facillime in ventriculo solvantur, et soluta quam citissime in succum et sanguinem cedant. Ea omnia quam maxime vitanda quae tarde et difficile in ventriculo coquantur et cocta succos praebeant viscidos et tenaces, qui nonnisi magno vasorum labore corporis usibus accommodentur. Itaque in genere, quum convalescentium corpora reficere Hippocrates voluit, loco carnium animalium lactantium commendat carnes validiores, et pro catulinis, volucrum et leporinas et ex his assas quasdam tum carnes tum pisces et quam optime praepa-

ratos *. Senem sagacissimum haud latuisse videtur quod recentiora experimenta plenius comprobarunt, nempe carnes adultorum animalium citius quam juniorum in ventriculo solvi, et solutas non, ut juniorum, pituitosas, viscidas et tenaces evadere, sed damna morbis illata salluberrimis succis resarcire.

Sed praeter ea quae corpus debile requirit, alia etiam in Hydropicorum cibis consideranda sunt. Nam non solum ea quae facile coquuntur, exquirenda, sed ea praesertim petenda, quae tum ad vires reficiendas tum ad excretiones etiam aquosas vel serosas promovendas et sustentandas apta sint. Insigniores corporis exitus sunt perspiratio et urina. Tantum humoris per cutis poros, quantum per alios omnes corporis exitus quotidie amandatur. In hac regione, auctore Keillio, inter maximam et minimam perspirationem unciae triginta et tres fere mediae proportionales sunt **. Parvo quandoque incommodo haec excretio impeditur. Etenim in sano corpore ejus vi-

* V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 632.
** V. Medicina Statica Britannica auctore Jacobo Keill, M. D.

cem renes quodammodo explent et materiem a cute repulsam foras ejiciunt. Sed in Hydrope perspiratio moram non impune patietur. Nam urinis vix ullis prodeuntibus, si per cutis spiracula humor non evolet, refluet in cava corporis. Hinc perspiratio impedita inter illa quae ad Hydropem disponunt, ab auctoribus ubique recensetur. Summopere igitur cavendum ne ea comedantur, quae materiae perspirabilis, vel urinae (quae in sano corpore ad libras duas et uncias sex spatio viginti-quatuor horarum solet effluere) evacuationi obstent. Quo major enim humoris copia per naturales illos exitus foras protruditur, eo plus mali tollitur. Excretionibus illis vel imminutis vel suppressis morbus incrementum capit. Sed dum facili coctioni consulitur, hisce evacuationibus simul providetur. Nam quod facile coquitur, docente Sanctorio, facile perspirat, et e contra quod difficile coquitur, difficile perspirat; illudque omne in genere, quod aggravat ventriculum, minuit perspirationem. Videamus quales cibos Hippocrates in hoc casu commendet. In capite de Hydrope a pituita tenui orto monet, " Huic ventrem siccare confert et „ panem quidem cibarium dare, pridia-

„ num,

„ num, calidum. Obsonia vero leporis „ carnes, canis adulti et ovis ac suis maxime assatas et galli assas calidas, polypos etiam vino nigro austero incoctos „ edat. Vinum bibat nigrum, quam crassissimum et acerbissimum. Piscibus utatur gobio, dracone, callyonimo, cuculo, scorpio hujusmodique caeteris, elixis „ omnibus minime recentibus et frigidis „ (hi enim quam siccissimi sunt) ac in „ jusculum non immergantur; nec sale praeparati vel conditi sint pisces. Oleribus „ autem utatur raphanis et apio. Lenticulam vero torreat aceto temperatiorem ac „ edat. Et interdiu et a coena deambulet, „ vespere dormiat et mane exurgat. Ac „ si ab his restituatur, satis est: sin minus, ei cneorum aut hippophaes succum „ aut granum cnidium propinato: et post „ purgationem duas lenticulae heminas supersorbeat et panem parvum comedat. „ Vinum autem bibat nigrum, acerbum, „ paucum. Medicamentum autem bis in „ die, donec vacuus fit, bibat *." Caput hocce ita ob oculos posuit Baro van Swie-

* V. Hipp. Oper. Edit. Chart. vol. vii. p. 655.

ten ut merito suspicio suboriatur, illustriss. archiatrum neque Hippocratis in hac parte disciplinam neque Graecum hujusce textus sermonem probe intellexisse, quum sequenti modo loquitur. " Huic ventrem siccare „ confert. Victum autem siccum ex car- „ nibus imprimis assatis commendat Hippo- „ crates: Pisces quidem dabat elixos sed „ pridie coctos et frigidos ut essent siccis- „ simi, et ideo monuit ut jusculo non im- „ mergantur insulsique sint ne sitis augea- „ tur. Vinum autem nigrum quam crassis- „ simum dabat sed paucum *." Hic archiater illustrissimus finem cum initio capitis conjunxit, mediumque silentio praetermisit, scil. *Vinum bibat nigrum, etc. quantitate non restricta*, tacet; sed verba ultima, *vinum paucum*, palam profert, utpote magis suae menti accommodata, quamvis minime ab Hippocrate praedicata de vino quod Hydropicis in genere concedere licet, sed de illo vino quod aegris porrigere convenit, qui purgantia bis in die sumunt. At non solum, verba variis locis decerpta componendo, sensum Hippocratis mutilavit imo prorsus mutavit., sed Grecum textum

* V. Swieten. Comment. vol. iv. p. 215.

non omnino recte exposuit, nam verbum εωλοισι exemplo Charterii vertit *pridie coctis*. Nihil omnino habet, εωλος quod *coctus* significat. Εωλα sunt edulia hesterna seu pridiana, non recentia sed reposita. Recte igitur Foesius fecisse videtur, verbum εωλοισι in hoc loco vertendo *minime recentibus*, quippe εωλον fere opponitur τω προσφατω καὶ νεαδω, *recenti*. Galenus ipse verbo εωλω in hoc sensu utitur, ubi monet, εωλον γαρ ευπεπτοτερον τȣ προσφατȣ, *quod minime recens est, facilius coquitur, quam quod recens est*. Neque vox αναλτοι bene per vocem, *insulsi*, vertitur. Αναλτα sunt μη αλσι σκευαζομενα. Αναλτον αλφιτον Galenus exponit το χωρις αλων καὶ ȣχ αλμυρον. Propius itaque ad mentem auctoris accedere videtur versio, quam dedi, vocis αναλτοι, scilicet ut *minime sale preparati vel conditi sint pisces*. Sed nihil, uti mihi videtur, accommodatius effingi potest, quam haec diaeta. Nam eae sunt diaetae ab Hippocrate commendatae dotes, scilicet carnium leporis et animalium adultorum, ut in alcalinam naturam proclives quam facillime in ventriculo solvantur et quam optime perspirationi faveant; illudque quoad pisces (qui siccissimi sunt) cautum voluit, ne

ventriculum fatigarent, ne sua natura haud prompte satis in ventriculo solverentur, ut minime recentes ingerantur: et porro, ne sitis augeatur, vel forsan ne pisces sale indurati ventriculum offendant, monet ut sint ἀναλτοι, *i. e.* sale non conditi. Caro suilla, quae hic inter alias carnes laudatur, docente Sanctorio, laedit ventriculum, et difficile perspirat. Genti Judaicae legibus Mosaicis ideo vetitam fuisse quidam crediderunt, quod cutis poros occludendo foedo leprae morbo ansam praebeat. Illud certissimum est, quod pingues non solum porcorum sed et pingues omnium animalium carnes ventriculum laedant nec facile perspirent. Morbis itaque cutis multum nocumenti afferre debent; et, quum caro suilla saepius nimium pinguis editur, quam aliae pleraeque, eam praesertim ideo a sacro legislatore prohibitam fuisse minime improbabilis videtur opinio. Attamen illud fatendum est Graecos ab illius usu minime abhorruisse: imo carnem suillam ab illorum scriptoribus tanquam saluberrimum cibum laudari. Ipse Sanctorii commentator aphorismum huc spectantem inter errores celeberrimi olim medici Itali reponit, illumque de ea carne suilla, quae nimium pinguis

editur, voluit intelligi *. Neque plane ratione caret, dum asserit, experientia probari quotidiana, carnem porcinam non nimis pinguem sed apte nutritam et facile in ventriculo coqui et facile perspirare. Variae hujusce carnis naturae Hippocratem non latuerunt, „ Porci carnes, ait, pravae „ sunt, cum crudiores aut perambustae „ fuerint; nempe tum choleram saepe gi„ gnunt: et turbationem faciunt: suillae „ autem carnes optimae sunt; praestantissi„ mae vero, quae neque vehementer pin„ gues neque contra vehementer graciles „ neque veteris victimae aetatem assecutae, „ edendaeque sine pelle et subfrigidae **. " Sub hisce conditionibus non ea istius carnis natura est, ut vel ventriculum laedat, vel in corpore plus aequo haereat. Sed quo rite cibi illi omnes subigantur, omnesque simul absolvantur excretiones, exercitia jubentur. Eodem scopo tum ad perspirationem tum ad urinas promovendas utiles sunt raphani et apium et vinum austerum quod

* V. The Aphorisms of Sanctorius, translated into English, with large Explanations, by John Quincy, M. D. p. 181.

** V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. iv. p. 75.

ventriculum etiam roborat et vires rofocillat. Sed quantitas vini ab Hippocrate concessa non definitur. " Vinum, inquit, bi-
„ bat nigrum. " Illud autem animadvertendum quod, ubi parca copia vinum austerum assumi voluit, speciatim semper moneat. Ita sub fine capitis, quum purgantia bis in die exhibet, dicit, vinum dandum esse sed paucum. Si nunquam in Hydrope nisi parva quantitate illud exhibuisset, hortatio de vino nonnisi pauco exhibendo quum medicamenta bis in die dantur, minime fuisset necessaria. Exceptio probat, aegrum ubi purgantibus res non geritur, non ita esse obstringendum. Neque verisimile est, (si hic ullus conjecturae locus foret) vinum illud parca manu dedisse quod ad robur et ad siccitatem commodum laudavit. Sed si praedictorum librum evolvamus, nullus dubitationi supererit locus, quin vinum Hydropicis libere Hippocrates porrexerit. Nam morbi eventus praesagium a mutatione vinorum per renes transeuntium deprompsit. Το δε ουρον χρή φαινεσθαι πεϱαιουμενον προς τα επιτηδευματα, καὶ των οινων τας μεταβολας. " Urinam autem in transitu apparere convenit pro studiorum ratione et

vinorum mutatione *." Επιτηδευματα significare videntur, ut monet Foesius, institutam vitae rationem Hydropicis convenientem, urinas moventem aquasque educentem et caetera quae ad id praestandum instituuntur. Quod vina illa inter ea quae ad urinas ciendas faciunt, referenda sint, ex ipso praesagio patet. Si parca copia hausta fuissent, omnino in humoribus delituissent, et ex urinis, non ex vinorum mutatione praesagium deduxisset.

Hisce itaque perspectis et pensitatis satis liquet quantum diversa in hydrope medicamentis depellendo, et in ventre diaeta siccando Hippocratis fuerit disciplina. Vim medicamentis addere et sorbitionibus et ptisanis et aqua mulsa satagit. Sed cum nulla medicamenta propinantur, res aquosas nequaquam concedit, ne vinum quidem dulce, neque aquam mulsam: sed cum cibis facilis coctionis vinum austerum, quod, quamvis urinas proliciendi facultate praeditum, magis tamen corpus roborando excretionibus promovendis inserviat **. Porro

* V. Hipp. Oper. Edit. Foesii, Sect. ii. p. 70.

** Expendi merentur rationes, quibus potiones in hoc malo tuetur egregius regis Christianissimi medicus Richard, quarum praecipuae sequentes sunt.

neque nimium neque parcum hoc vinum exhibetur, sed copia ad cibos solvendos, ad vires reficiendas, et ad urinas ciendas sufficienti. Hinc spissi viscidique primarum viarum succi magis per vasa meabiles redduntur. Hinc obstructiones, quae ipsae non raro morbum excitant, praecaventur. Hinc acriores, qui febrem incendunt et assidue fovent, eluuntur humores. Non adeo infida igitur, ut pluribus placuit,

„ Mais, en recapitulant ici les principaux symptomes „ qui accompagnent cette maladie et qui revendiquent „ la boisson comme soulagement et comme remede, „ je ne peux me dispenser d'insister principalement „ sur la soif ardente, qui fatigue ces especes des „ malades, et qui a passé en proverbe: sur la seche- „ resse de la bouche, la viscosité de la salive qui la „ suppose, la crispation et l'impermeabilité des cou- „ loirs qui en sont les suites et qui menacent des plus „ grands malheurs: ces symptomes, joints au desir „ ardent des Hydropiques, prouvent la necessité de „ la boisson: l'indication est souvent pressante: c'est „ le cri de la nature, mais elle est d'autant plus que „ les solides sont plus tendus, plus dessechés, les „ humeurs plus acres; elle le seroit encore davantage, „ s'il etoit possible, quand, a quelqu'un de ces defauts, „ se joint, comme il n'est que trop commun, l'ob- „ struction d'un ou de plusieurs visceres. C'est a „ Monsieur Bacher que nous devons l'avantage de „ nous avoir affermi dans l'usage de faire boire les „ Hydropiques dans tous ces cas, " etc. etc. Recueil d'Observations, vol. ii. p. 364.

fallaxque in hoc casu sitis, quae, monente Gaubio, in morbis solito plus urget, quoties aut tractus superior primarum viarum, istius sensationis sedes, aut cum hoc etiam corpus reliquum humectatione indiget. Illud enim persuasum habeo plus fere mali a siti illa toleranda oriturum, quam si, Hippocratis more, vino neque nimio neque perparco huic naturae indicio obsequeremur.

Sed error, qui in medicorum praxim irrepsit, in isto praecipue cardine versari mihi videtur, quod Hippocratis praecepta de duabus hisce methodis distincte et dilucide tradita commiscuerint: imo utrasque simul in usum reducere consueverint. Ita, quia et panem parvum et vinum paucum, quum purgantia bis in die dantur, Hippocrates exhibendum docuit, ideo vinum, quum nulla medicamenta dantur, nonnisi perparca copia porrigendum voluit Swietenius. Quia nullae res aquosae sine medicamentis ab Hippocrate exhibentut, ideo nullas cum medicamentis dandas sibi medici in animum induxerunt. Igitur, quum ad Hydropicos vocantur, remedia quotidie praescribunt, et siccam simul diaetam potumque quam parcissimum commendant.

Conferamus diaetam ab Hippocrate commendatam, cum illa quae ab aliis laudatur. Plerique Celsum, non Hippocratem in hac parte secuti sunt. Monet ille cibum esse debere ex media quidem materia sed tamen generis durioris. Diaeta et sicca et duta multis placet. Commendant alii carnes juniorum animalium et panem biscoctum, imo caseum et butyrum. Potio, auctore Celso, non ultra danda quam ut vitam sustineat, optimaque est quae urinam movet. An potio quaecunque non ultra data, quam ut vitam sustineat, ad urinas ciendas apta evadet? Sed nonne cibus generis durioris quotidie ingestus (etiam concesso potus privilegio) hominem sanum vegetumque opprimeret? Nonne cibus durus, victus, tenax insalubris panis viscidus inter causas ab auctoribus recensentur *, cur pauperes pauperumque infantes Hydrops adeo facile corripiat? At vero, si haec robusti hominis vires deiiciant, quanto magis vacillanti cuiquam, imo Hydrope graviter laboranti, debent nocere? Lentum, tenax, viscidumque in Hydrope peccare dicitur, caseus tamen et butyrum, utrum-

* V. Swieten. Comment. vol. iv. p. 199.

que viscidum et tenax, pessimaeque ad ventriculum laedendum indolis inter praecipua hodiernae Hydropicorum diaetae suppellectilia numerantur: et carnes etiam juniorum animalium, quamvis sua natura pituitosas, medici ingerendas jubent. Sed quo pacto duri isti viscidique cibi, denegato Hydropicis, uti mos est, potus nisi parcissimi beneficio, in ventriculo solventur? Parca, viscida saliva est. Nonne exinde conjectare licet, parcos, viscidos et indole depravatos succos esse quoque gastricos? Ut illorum defectus suppleatur, solito major liquidorum copia jam requiri videtur. Potio tamen Celso aliisque monentibus non ultra danda, quam ut vitam sustineat. Longam itaque hi cibi in ventriculo moram facient; si nullae antea obtinuerint obstructiones, nunc enascentur; demittentur vires; perspiratio aliaeque excretiones impedientur; fluitabunt circum praecordia humores viscidi pituitosi a cibis istis nati, alentque morbum dum arida et exsucca evadet corporis superficies. Haec diaeta cum morbo conspirare debet ad humoris per cutis poros inhalationem adeo in immensum evehendam ut, intra paucos dies, nullo interim potu ore assumpto, Hydro-

pici ultra centum libras per cutis porro quandoque imbibant *. Etenim nullo morbo existente, si corpus quacunque causa aridum et exsuccum reddatur, unciae triginta tres, uti solent, per cutim foras adeo non ejicientur, ut e contra per poros magna humoris quantitas absorbeatur. Ita, docente Keillio, juvenis sanus jejunio et sex stadiorum ambulatione defatigatus, spatio unius noctis uncias octodecim per cutis poros inhalavit. Corpus igitur sanum sed per jejunia solitis defraudatum succis ex aere humiditatem attrahit. An ergo omnis illa in Hydrope inhalatio morbi vitio ponenda? Nonne pars ejus aliqua duro cibo potusque abstinentiae jure tribuenda? Sed variis hisce m dis frustra plerumque aegros adeo medici excruciarunt ut incestum saepe sit, quae-

* Hydropicorum utique exempla nos docuere paucos intra dies ultro 100 libras cutis imbibi poris. V. de Haen Tractatus de Febrium Divisionibus, p. 49. — Docet etiam Swietenius, corpora Hydropicorum ex ipso aere in se aquam trahere imprimis cum nulla alia causa assignari possit, cur ascitici, per paracentesim ab omni colluvie aquosa liberati, tam cito denuo impleantur, licet parcissimo potu et cibis siccioribus utantur, excretaeque urinae copia potus ingesti quantitatem superet. V. Swieten. Comment. vol. IV. p. 249.

nam ex ipso morbo ducerent originem mala, quaeve afferret ingesta haec perverso more diaeta. Toto coelo haec omnia ab Hippocratis disciplina distant. Non potum quam parcissimum jubet sed vinum laudat austerum. Non carnes commendat juniorum animalium sed adultorum. Non dura et viscida, sed facile in ventriculo solvenda, sed minime recentia. Non pituitosa quae circum praecordia haereant, morbumque augeant, sed ea plerumque quae petant cutim, vel quae excretionibus promovendis inserviant.

Unde vero perversae hae derivatae methodi in medicinam irrepserunt? Unde fit ut illa a potu abstinentia adeo quaquaversum obtinuerit? Illud, uti jam notavi, apud Celsum scriptum idemque pene omnibus dehinc imitatoribus suis repetitum video, nempe quod potio non ultra danda quam ut vitam sustineat. Ab illo elegantiae magistro disseminata haec doctrina per sequentia saecula medicorum mentes ubique infecit veteremque Hippocratis disciplinam pene delevit. Verum enimvero, haec Celsi dogmata Hippocratem omnium saeculorum judicio optimum sapientissimumque vel erroris insimulant vel ipsa fide prorsus indi-

gna sunt. Itaque num Celsi ipsius num aliorum experientiae auctoritati innitantur, quaerere convenit. Sunt qui Celsum ex rhetorum scholis profectum et dicendi magis quam medendi artificem putaverunt. Sed dubia illa, medicus num fuerit, tacebo. Etenim non videtur tam bono ordine tamque dilucide praecepta veterum expositurus fuisset versatus. Utcunque tamen se res habeat, pro certo est ea, quae in Celsi libris continentur, a Graecis potissimum, ab Hippocrate scilicet et ab Asclepiade, excerpta fuisse. Ea vero, quae Celsus de potu in morbis tradit, Hippocrati adversantur, et vetera Asclepiadis et mechanicae sectae praejudicia redolent. Potionibus in morbis acutis et cibo farinoso facillime coquendo Hippocrates plurimum fidebat. In hydrope humectantia cum remediis laudat. In hydropicorum cibis vinum austerum. Sed in diatrito primorum dierum abstinentiam Asclepiades imperavit; siti aegros excruciavit et vigiliis; in hydrope cibi et potus abstinentiam suasit. Pariter Celsus docet » Primo febris die nullus hu-
„ mor dari debet nisi subito sic venae
„ conciderunt ut cibus quoque dari debeat:
„ secundo vero caeterisque etiam quibus

„ cibus non dabitur: tamen si magna sitis „ urgebit, potio dari potest. In hydrope „ potio non ultra danda quam ut vitam „ sustineat *. " Ad mechanicae sectae partes multum Celsus inclinat et invite in febribus potiones concedit, adeo ut jure optimo potum nimis reformidasse etiam in ardente febre ab ipso Hallero dicatur. Neque mirum profecto eum, qui potionem in febribus alienam crediderit, ab ejusdem usu in hydrope abhorruisse. Haec vero ab Hippocratis mente quam longissime distant. Non enim ita nos a natura comparatos censuit sagacissimus senex ut liquidis unquam sine gravi damno privaremur, de eo semper unice sollicitus, ut fluidi cujusque virtutes edisceret et ut potum aeger quisque sibi convenientem obtineret.

Hippocratis itaque fretus praeceptis et exterorum medicorum exemplis edoctus, veteri veraeque medendi methodo in nosocomio, quod *Middlesex* vocatur, memet accommodare conatus sum; atque hydropicorum curationi ibi haud infelicites adfui. Non inutile igitur judico, hanc medendi

* V. Cornelii Celsi lib. iii. cap. vi.

methodum, quae votis meis adeo bene respondit, breviter enarrare.

Si non admodum debilis aeger, tentavi interdum aquas purgantibus quodammodo dispellere, et alternis diebus vel bis in septimana, ratione virium habita, dedi pulverem ex radicis jalappae drachma dimidia et calomelanos granis septem compositum: situm: diebus intermediis haustum salinum *, cui adjiciebantur aceti scillitici guttae quadraginta vel drachma una, sexta quaque hora propinandum: cum purgantibus et decoctum avenae et juscula aliaque humectantia. Quo certior fierem, quantum liquida cum medicamentis ad urinas proliciendas et ad tumores aquosos dispellendos sint necessaria, sub initio quandoque cum diureticis potus diluentes non concedebantur: sed medicamentis solis res acta fuit. Quamvis purgantium ope tumores saepe dimi-

* ℞ Aquae menthae vulgaris simplicis unciam unam,
Aquae purae unciam dimidiam,
Salis tartari grana quindecim,
Aceti destillati drachmas sex, vel q. s. donec cessaverit effervescentia,
Aquae piperis Jamaicensis drachmam unam,
Syrupi simplicis drachmam unam.
M. F. Haustus.

minuerentur, parcae fere semper perstiterunt urinae et vires multum dimittebantur. Omisso igitur, ne vires nimium frangerentur, purgante hydragogo et illius loco dato, pro re nata, sale cathartico amaro vel alio quovis id genus purgante, haustum cum aceto scillitico continuavi et simul magnam aquae hordeatae copiam, cum salis diuretici pauxillo, ingerendam jussi, unde effectum est ut renes, qui hucusque incassum sollicitati fuerant, suis fungi officiis cito inceperint, et saepe intra spatium quadraginta horarum copiosae urinae profluxerint. Sed quia potulenta, cum salibus conjuncta, neque grata sapori sunt neque sitim commode restinguunt, potum composui Hydropicis apprime accommodatum, ex cremoris tartartari uncia dimidia, in aquae hordeatae libris duabus soluta, confectum, cui syrupus ad gratam dulcedinem et spiritus vini Gallici uncia una vel duae adjiciebantur. Laudes quibus cremorem tartari ad Hydropem dispellendum cumulavit Vincentius Menghini * et insignes, quos ipse

* Experimenti Vincentii Menghini de largo et diuturno cremoris tartari usu ad Hydropisim summopere utili. Act. Bonon. tom. iv. p. 260.

vidi, effectus ejusdem remedii me in animum induxerunt, ut potum supradictum in hoc morbo commendarem. In actis Bononiensibus quindecim Hydropicorum historiae narrantur, qui uncia dimidia cremoris tartari sola quotidie assumpta integre restituti fuere. Verum enimvero illud in iis historiis notabile est, cremorem tartari subinde per viginti, vel triginta, imo quadraginta dies datum, nullum saepe omnino effectum habuisse: at magna aquarum copia, more meo, solutum, intra totidem horas effectus sui signa plerumqne, urinas copiose educendo, prodidisse. Liquor ille in nosocomio nostro nunc communis Hydropicorum potus est, quem ad libitum bibunt Hydropici cum variis remediis, quorum aliqua jam memorata sunt. Minime hic silentio praetetmittendum censeo, decoctum radicis senekae, quod secundum pharmacopoeam Edinburgensem * paratum ad uncias tres bis vel ter in die porrexi, hoc modo confectum, vomitum fere semper excitando, multum corpus turbare: sed quum

* ℞ Radicis senekae unciam unam,
Aquae sesquilibram.
Decoque ad libram unam, et cola.

radicis nonnisi unciam dimidiam vel drachmas sex decoquendas jusserim, optimum evasit remedium, et quamvis vomitum nonnunquam et saepe nauseam moverit, alvum tamen plerumque novies vel decies in die duxit, imo quandoque et urinas copiose elicuit. Sed in decocto radicis senekae in aliis purgantibus exhibendis cavendum est, ne illorum usu (si admodum debiles aegri sint) plus aequo inhaereamus. Dudum monuit, jure optimo, vir ornatissimus et peritissimus medicus Richardus Mead, « ubi » fractae vires, nocet vehemens per al-» vum purgatio et quo plus humoris ab in-» testinis ejicitur, eo major ipsius copia » in ventrem refluit. « Itaque ne nimium purgantibus aegri frangerentur, post purgationem per aliquot dies rem totam saepe solis medicamentis diureticis cum potu commisi. Aliqua tamen purgantia fere semper initio fuere necessaria; parum enim profuère potus cum diureticis, nisi prius tumores Hydropici paululum purgantibus fuisse[illegible] diminuti: et si illorum auxilio tumorem abdominis diminuere non potui (quod interdum accidit) vana fere omnia inveni diuretica. An illorum operationi obsistit renum ex nimio aquarum pondere compres-

F 2

sio? An, aquis per purgantia paululum subductis, liberior inde fit potulentorum in urinae vias ingressus, certiorque remediorum effectus? Mali profecto omnis tardam in Hydrope ad purgantia alvum antiqui notavere.

A tempore quo in Angliam redii, duodecim viri et adolescentulus unus decem circiter annorum, omnes ascita et anasarca gravissime laborantes, curae meae demandati sunt. Ex his sex integre restituti fuere. Unus e domo, antequam curatus fuit, sponte exivit. Sex periere. Sed in hisce, cadaverum sectio, ubi illam faciendi occasio data fuit, labem aliquam viscerum, nullo remedio domabilem, fere detexit. Ut vero clarius haec methodus pateat, liceat nobis aegrorum historias quasdem referre.

A casu Edvardi Jenkins incipiam, hominis aetatis quadraginta-novem annorum, die mensis Maii quinto in nosocomium recepti. Illius venter multum aquis distentus fuit et perculsus sensum permotae intus aquae praebuit. Anasarca magna pedes et crure occupavit. Urinae perpaucae eaeque subrubrae; sitis magna. Huic homini pulverem ex radice jalappae et calomelanos granis aliquot supra memoratum sed bis so-

lum in septimana exhibui: diebus intermediis haustum salinum cum aceti scillitici drachma una sexta quaque hora bibendum. Potus non dabantur. Die quo medicamentum purgans propinabam, alvus ad decem vices dejiciebatur. Die etiam sequente purgatio non cessaverat, sed quater vel quinquies sedes movebantur. Cum his medicamentis, nempe cum remedio purgante et haustu salino scillitico ad decimum sextum Maii perseveravit, eo effectu ut ventris tumor paulum diminueretur: sed urinae adhuc vix ullae prodierunt. Dedi igitur cum haustu scillitico potum supra memoratum copiose bibendum; eo cum effectu ut die sequente urinae jam liberius effluere inciperent et quotidie eo usque augerentur, ut septimanae spatio tumor abdominis pene disparuerit. Die Junii secundo aeger sanatus e nosocomio dimissus fuit.

Mathaeus Saunders, aetatis viginti trium annorum, postquam febre intermittente per aliquot menses laboraverat, sensim in Hydropem incidit. Die decimo octavo Novembris anno 1777, ascita et anasarca laborans, in nosocomium receptus est. Die sequente purgans antea praescriptum cum granis quinque calomelano paratum sumpsit,

quod die vigesimo tertio fuit repetitum:
Prima vice alvus undecies, secunda octies respondebat. Medio inter purgantia intervallo, habuit aeger sexta quaque hora haustum salinum scilliticum, qui cum aqua hordeata et cremore tartari pro potu sine ullo alio remedio ad septimum Decembris diem continuabatur, urinis jam libere satis profluentibus. Sed quum per aliquot dies alvus non solveretur, pulverem purgantem iterum dedi, (aucta calomelanos ad grana septem dosi) qui aquas sedibus copiose eduxit. Die octavo acetum scilliticum in haustulo ad drachmam unam et dimidiam augebatur cum potus ut antea. Haec ad diem Decembris decimum quintum sumpsit, quo die acetum scilliticum ad drachmas duas in haustu auctum est. Quamvis vero acetum scilliticum quantitate guttarum quadraginta nauseam aliquando, imo vomitum movere soleat, sensim tamen augendo dosim nihil aliud incommodi hic aeger ex drachmis duabus sensit quam levem nauseam. Hisce remediis, intercalato pro re nata medicamento purgante, aeger convaluit; et, postquam per aliquod tempus vinum chalybeatum, quo morbi reditus

praecaveretur, sumpsisset, sub fine Januarii, e nosocomio sanatus exivit.

Mense Decembris ultimo Johannes Lucas, viginti annos natus, anasarca er ascita gravissime laborans, ad nosocomium a domino Doctore Denman missus fuit. Sex jam septimanis morbo laboraverat et sensim increverat malum, et venter et femora et crura multum aquis distenta erant. Cuticula penis et testiculorum aquis adeo plena, ut pellucida appareret. Oculi rubri multumque inflammati. Pulsus durus et frequens. De dolore aliquo in abdomine conquerebatur. Itaque ne viscera inflammatione afficerentur, venam secare non metuens, uncias sanguinis octo mittendas jussi. Sanguis coagulatus pelliculam albidam in superficie exhibuit, et concrevit adeo fortiter, quasi ab homine robusto fuisset detractus. Die post venae sectionem, scilicet duodecima Decembris aegro pulvis purgans propinabatur, qui sedes quatuor solummodo movit; at levem salivationem per aliquot dies excitans, non repetebatur. Usum potus cum cremore tartari usque ad decimum sextum diem continuavit; cum tamen inde urinae minime copiosae effluerent, julepi hydragogi pharmacopoeae Edinburgen-

sis * cochlearia duo, omni mane, secunda quaque hora, sumenda praescripsi, donec alvus dejicieretur. Hoc vero medicamentum fere vomitum ciens, nonnisi ter aut quater alvum duxit. Itaque, Decembris die vigesimo primo, decocti senekae, cum radicis drachmis sex parati, uncias quatuor aegro exhibui. Quamvis et hoc remedium sub initio quandoque vomitum excitaret, multae tamen aquae sedibus ducebantur. Namque decies imo duodecies in die alvum deposuit aeger, eoque melius ipsi cessit remedium, quod singulis diebus, a vigesimo primo usque ad vigesimum sextum, eodem uteretur. Interim simul potum ad Hydropicos paratum dabam, neque impediebat purgatio, quin libere profluerent urinae. Hac methodo vigesimo sexto die tumor abdominis disparuerat, nec mali quidquam, nisi pedum crurumque anasarca, supererat: urinae etiam quae primum subrubrae, dein turbidae apparuerant, colorem naturalem induebant. Omisso igitur purgante usque ad diem trigesimam pi-

* ℞ Aq. menth. sativ. unc. vi.
Tartari emet. gr. x.
Syr. de rhamno unc. ii. m.

lulae duae, granorum quinque singulae, et ex partibus aequalibus extracti corticis peruviani et salis martis confectae, mane et vespere dabantur, et interdiu bis vel ter haustus salinus cum salis diuretici scrupulo uno. Hac methodo urinae copiosiores adhuc effluere pergebant et pedum crurumque tumores diminuere. Sed alvo a vigesimo sexto adstricta, die trigesimo salis cathartici amari unciam unam dedi, quas bis solum sedes movebantur * et die sequente iterum medicamenta tonica et diuretica antea praescripta repetii, quae, intercalato pro renata medicamento purgante, ad vigesimum quintum diem Januarii continuabantur, quo, tempore, morbo penitus liberatus, e domo exivit. Iisdem prope modis et David Gilbert et Joannes Clay et Daniel Harvey sanati sunt, nisi quod hic ultimus fibra maxime laxa et leucophlegmatico habitu laborans, non alio remedio diuretico quam vino cha-

* Illud in hocaegro notatu dignum est, alvum ejus, quae tarda adeo, ad radicem jalapae cum calomelanos granis septem, et ad julepum hydragogum, et ad salem catharticum amarum erat, optime decocto radicis senekae respondisse. Idem in aliis aegris Hydrope laborantibus plus semel observavi.

lybeato, ad unciam dimidiam dato; cum potu ex aqua hordeata et sale diuretico usus fuerit. Iisdem remediis plus semel in morbo, ad alia omnia rebelli, aquas expulsas vidi, quamvis sensim iterum redundarint.

Inter illos, qui morti succubuerunt, non defuere qui utilia de hisce methodis dederunt documenta. Singulare hujus rei exemplum praebuit, casus Gulielmi Fox, quadraginta octo annorum, ascita simul et anasarca gravissime laborans in nosocomium ad finem mensis Aprilis missus fuit. Vocatus in consilium expertissimus chirurgus Samuel Howard, durum in dextro hypochondrio tumorem sensit. Quum a causa tam gravi hepar pateretur, et malum multum jam provectum esset, paracentesi praetermissa, experiri volui, annon medicamentis aeger sublevari posset? Itaque decoctum senekae primum ter, dein bis in die; potum etiam ad Hydropicos paratum dedi, dein pillulas scilliticas, et postea vinum chalybeatum. His medicamentis die Junii primo tumor abdominis ita diminutus erat, ut aeger crederet si blando somno refocillaretur, quem in nosocomio hominum turba impediebat, sanum sese esse futurum.

Die itaque sequente, venia data, ad domum suam se recepit, et ibi haustum salinum cum aceto scillitico continuavit. Potum vero nosocomii ad Hydropicos paratum haud adeptus, timensque ne alius morbum augeret, a liquidis omnino abstinuit. Urinae quae copiose antea effluxerant, statim diminuere inceperunt; itaque die Junii sexto ad nosocomium rediit, urinis parce admodum prodeuntibus, et tumore abdominis aucto. Potum denuo cum eodem remedio dedi, unde urinae iterum copiose effluere inceperunt, ita ut, ventre exinde multum diminuto, die Junii decimo quinto domum suam iterum rediret, ubi eodem potu quotidie sumpto, abdominis tumor usque ad undecimum diem Julii diminuere pergebat. Die vero Julii vigesimo nono, ventre minime distento sed aquis pene liberato, uti ab uxore sua constitit, morti succubuit. Plura talia Hydropicorum exempla nobis communicavit peritissimus medicus Donald Monro, V. Essay on the Dropsy qui, aquis expulsis, nulla causa evidente, mortui sunt. Hujusce hominis cadaver, cum longius Londino abessem, sectum non fuit. Sed verisimiliter hepar et forsan alia viscera gravi alio vitio laborarunt. Mirum profe-

cto hic videri potest, quam facile fuerit; hujusce aegri urinas elicere. Idem notabile fuit in casu Johannis Baker, qui Hydropem cum levi icteri gradu aliisque vitii, in hepate haerentis, signis conjunctum habuit. Ope diureticorum cum potu, urinae ejus facile provocatae et exinde tumor abdominis et crurum plus semel depulsus: sed denuo recruduit morbus, quamvis aeger vino chalybeato pro remedio diu usus fuerit, potuque (ex aqua scilicet hordeata et sale diuretico) eo usque diminuto, quo, salva urinae secretione, liceret. Spe tandem salutis recuperandae, quae saepius effulsisse videbatur, delusus, e nosocomio exivit, sublevatus sed minime sanatus. Idem in aegris a Bachero curatis fuit observatum, urinas nempe eorum, qui icteri vel vitiati hepatis signa habuerunt, et citius et liberius profluxisse, quam illorum quibus hepar sanum et vitii expers. Dudum notavit Boerhavius in anxietate illa febbrili quae ex impedito trajectu cruoris per venam portarum ortum ducit, ingentem urinae copiam excerni. Nonne eadem auctae urinae secretionis in aegris, de quibus jam agitur, ratio dari potest, nempe quod " sanguinis " transitu per venam portarum impedito,

„ sistema venosum viscerum chylopoieticorum „ non poterit se evacuare in illam : venis „ autem illis plenis manentibus et distentis, „ sanguis arteriosus per coeliacas et mesen- „ tericas arterias allatus, qui in has venas „ exonerari debebat, stagnabit adeoque san- „ guini per aortam pellendo in has arterias „ major fiet resistentia. Ergo cor sinistrum „ difficilius sanguinem suum in aortae trun- „ cum evacuare poterit, donec removeantur „ haec obstacula, vel alii ex aorta oriun- „ di rami dilatati recipere possunt illum „ sanguinem, qui aliter per coeliacam et „ mesentericas arterias transire solebat. At „ majori copia sanguinis per vicinas emul- „ gentes pulsa ingens urinae copia excer- „ netur: eo enim semper major erit liqui- „ di secreti quantitas, quo major liquidi „ secernendi copia organis secretoriis eo- „ dem temporis spatio applicetur *. "

Jacobi Fisher abdomen in immensum aquoso tumore attollebatur. Paracentesim institui: humor tamen ita tarde stillabat per canulam ut tanta copia in ventrem refluere, quanta per orificium emitti videretur. Aliquid ab initio semper canulae

* V. Swieten. Comment. tom. ii. p. 176.

foramen obstruxerat, quod tandem occlusit. Nihil ad tumores profligandos valebant purgantia. Nullae diureticis elicitae urinae: vana omnia medicamenta. Vir obiit. Cadavere secto, glandulae mesenterii mole multum auctae. Hepar in omni parte durum et scirrhosum, et magnitudinem naturalem valde superans. Pulmones qui pleurae adhaerebant, ulceribus obsessi. – Pariter neque julepo hydragogo neque decocto senekae neque alio quocunque modo immensum abdominis tumorem viro cui nomen fuit Ralph Methuen, potui dispellere, neque diureticis prolicere urinas. In nosocomio sancti Georgii frustra jam a peritissimis medicis tentatus fuerat, neque alio proposito in nostram domum fuit receptus nisi ut meritissimo medico domino Knox morem gereremus. Aeger morti succubuit. Cadavere secto polypus magnus in vena cava inventus. Alius sed multo minor in aorta. Glandulae omenti durae et scirrhosae. Pancreas durum et scirrhosum. – Thomae Riley cadaver sectum nou fuit. – Sed casus Thomae Gaul, aetatis annorum quadraginta septem, aliud notatu dignum obtulit. A viginti retro annis liquoribus spirituosis ingurgitandis deditus, diu jam asthmate la-

boraverat. Propter asciten et anasarcam gravissimos in nosocomium receptus est. Respiratio difficilis, anhelosa. Tussis frequens. Reclinato corpore in lecto minime potuit decumbere: sed in cathedra sedens noctes atque dies ante focum transegit. Pulsus durus adeo ut plane similem vix in febre vel in rheumatismo acuto tetigerim; que simul adeo tardus, ut nunquam plus quam ictus sexaginta tres, et interdum quinquaginta quatuor solum, in temporis minunuto daret. Venam secari et sanguinis uncias octo detrahi jussi, multumque inde aeger sensit levamen. Pro remedio decoctum senekae dedi et aquam hordeatam cum cremore tartari sed modicam. Post aliquot dies, loco decocti senekae, haustum salinum cum aceti scillitici drachma una eidem exhibui. Hac methodo decem dierum spatio eo usque aeger sublevatus fuit, ut in lecto supinus reclinare posset et placide dormire. At pulsus durus adhuc, et aquae denuo in ventrem et in femora pedesque refluere inceperunt. Respiratio difficilis iterum et laboriosa: venam idcirco denuo tundendam jussi, et eodem, ac antea, eventu. Medicamentis, tum alvi dejectiones tum urinae excretionem promoventibus, tu-

mor et abdominis et crurum multum est diminutus: at paulo post, morbo recrudescente, domum suam petiit ubi post tres dies morti succubuit. Urinae ad extremum usque effluxerant et secto cadavere perpaucae in abdomine aquae. Sed in utroque pectoris cavo librae ad minimum tres humoris serosi, paululum rubro colore tincti. Pulmones non multum inflammati sed fortiter pleurae adhaerentes ulceribusque hic et illic obsessi; cor in magnam molem auctum: sed in privata domo non ea, qua par fuit, attentione examinare illud neque auferre licuit. Abdominis viscera sana. Ne hepar quidem, quamvis hic et illic praeter naturam durum, labe ulla affectum, quae Hydropis, nedum mortis, causa censeri posset. – Humorem in pectore inclusum perdifficile est medicamentis educere. Sed quaenam effusionis aquosae in thoracem aderant signa? Respiratio anhelosa et decubitus difficilis Hydrothoraci cum ascita sunt communia; at plane dyspnoea pergravis et difficilis decubitus in hoc casu sollicitum me et suspensum tenuere, ne in pectoris spatium aqua penetrasset. Sed memet deceptum credidi quum, aquis e ventre expulsis, in lecto supinus aeger decumberet

et

et placide dormiret. Nunquam de subita a somno excitatione cum palpitatione conquestus erat. An igitur non ita multum ante mortem aqua in thoracem effusa est? An aqua in pectoris cavitate, absente symptomate mox memorato, diu potuit substitere?

Non rarus in hac regione casus Johannis Henry adolescentuli, aetatis decem annorum, qui a malo corporis habitu in Hydropem inciderat. Ubique aqua corpus diffluebat. Abdomen et crura et femora occupabat humor. Penis et testiculorum cuticula adeo distenta et plena, ut pellucida appareret, partesque in aqua quasi latere viderentur. Facies omnis tumida, et palpebrae praesertim magna aquarum copia obsessae. Rauca urgebat tussis et aegrum assidue adeo exagitabat, ut prae tussiendi strepitu vix quisquam in eodem cubiculo decumbens dormire posset. Vana per septimanae spatium omnia medicamenta. Sectio cadaveris harum rerum causas patefecit. Pulmones tam fortiter pleurae adhaerebant, ut nonnisi magna vi ab eadem separari possent. Adhaerentes hinc et illic pulmones parvo, imo nullo quandoque incommodo tolerantur: at in hoc casu adeo quaquaversum adhaesio obtinuit, ut jure subeat ad-

miratio quomodo respiratio omnino absolvi potuerit. Mesenterii glandulae durae et in immensam molem auctae. Impeditus per pulmones sanguinis transitus et mesenterii obstructiones effusionibus istis aquosis occasionem certissime praebuerunt.

Tres porro feminae ascita et anasarca correptae in nosocomium admissae sunt. Una postquam lecto diu fuerat affixa, sublevata tandem, furtum aliquod in nosocomio commiserat et a domo dimissa. Sed, ni fallor, nullum manenti remedium. Nam tussis quotidie ab initio aegram agitaverat et materia crassa foetida sputo prodierat. Femina altera paulo post ejus in nosocomium ingressum sponte, nescio quam ob causam, exhibat. Tertia scilicet Martha Marr, aetatis quinquaginta novem annorum, die Decembris decimo quinto 1778 admissa, more usitato, purgantibus, diureticis cum potu, dein tonicis sanata, die Januarii vigesimo quinto exivit.

Quatuor praeterea viri anasarca laborantes in nosocomium recepti. In femora, crura, pedesque Thomae Baker, aetatis viginti novem annorum, e longinquo adducti, ingens humoris copia defluxerat quae mox et abdomen invasit. A gravi pulmo-

num vitio morbus ortum duxit. Nam quotidie immensam materiae purulentae foetidae quantitatem exspuebat. Aegrum mors cito abripuit. Anasarca pedum crurumque, a febre diuturniori orta, in Gul. Beach, aetatis quadraginta quatuor annorum, pilulis ex partibus aequalibus extracti corticis peruviani et salis martis confectis et ad grana decem, ter in die, datis profligata est. — Gul. Russel post febrem, anasarca pedum crurumque correptus, ad nosocomium devectus fuit. Tussis vexabat et sitis: sed haustui salino cum sale diuretico, et potui ad Hydropicos morbus brevi cedebat. — Gravior Thomae Morgan anasarca. In femora et crura humor illapsus. In manus et in faciem effusus. Palpebrae tumidae. Nulla vel perpauca in ventre aqua. Sensim eum invaserat et lente increverat malum. Sed decocto senekae refracta dosi, ita ut quater vel quinquies in die alvum moveret, sumpto et potu cum cremore tartari feliciter curabatur. Aliqui etiam inter pauperes qui ad consilia pro morbis suis petenda nosocomium semel in septimana frequentant, a variis Hydropis speciebus iisdem fere remediis et methodis restituti sunt.

Diuretica usitatissima, salem diureticum, acetum scilliticum, cremorem tartari, imo vinum chalybeatum, cum potu ad Hydropicos, eo consilio dedi, quo certior de hac medendi methodo fierem. Non pilulas hellebori, non egregia cel. apud Vindobonenses medici Collin remedia praescripsi, ne illud medicamentorum viribus acceptum referretur, quod jure medendi methodo foret tribuendum. Magnas hisce exterorum medicamentis inesse virtutes non recuso. Non pares sunt omnium diureticorum vires: sed in urina provocanda alia aliis longe antecellunt. Illud solum affirmo, vel debilisssimorum vires more medendi supradicto multum augeri, et, absque potus auxilio, vel potentissimorum esse mancas.

Aquis eductis, secunda indicatio, quo novus aquarum proventus praecaveatur, tonicis remediis absolvenda est: extractum corticis peruviani, sal martis, vinum chalybeatum, uti jam dictum, feliciter et ex voto cesserunt.

Dignissimus collega meus Jacobus Carmichael Smyth, vir singularis in morbis curandis peritiae, in nostro nosocomio eadem medendi methodo et felicissime usus est. Variis optimisque remediis, tum diae-

ta humectante tum potu ad eundem fere modum parato et aegris ad libitum dato, vires solertissime addidit. Inde factum est ut intra duorum annorum et dimidii spatium quo viri quindecim ascita et anasarca laborantes ejus curae demandati sunt, quatuor integre restituti: quatuor sublevati. Sex periere. Unus ob culpam aliquam nosocomio amotus. Ex foeminis quindecim, pariter ascita et anasarca correptis, decem convaluere. Quatuor mortuae. Una dimissa, Observationem confirmavit vir ingeniosissimus, foeminas hoc malo decumbentes et citius et facilius sanari quam viros, eam, uti sibi placuit, praecipue ob causam, quia rarius quam homines in Hydropem a jecore vel pulmonibus corruptis incidunt.

Hisce itaque positis et stabilitis, restat ut harum rerum rationes breviter exponamus. Spes nostra Hydropem curandi in urinae secretione augenda praecipue posita est. Sed liquidi secreti quantitas, uti jam dictum, semper erit in ratione liquidi secernendi, organis secretoriis eodem temporis spatio applicati. Ideo imprimis urinae secretio in hoc morbo minui videtur, quia sanguis imminuto semper flumi-

ne (humoribus tenuioribus in cava delapsis) ab extremis partibus redit: et si, priusquam iterum ad renes veniat, a primis viis nihil incrementi accipiat, medicamenta diuretica vix quidquam ad urinas proliciendas valebunt. Fluidis enim vix ullis ob causas memoratas in renes penetrantibus, medicamenta etiam ad loca destinata non pertingent, sed perparca copia ad renum vasa deferentur. Notavit Swietenius quod ingesta „ salina in sano corpore majorem „ faciant urinae secretionem, sed imprimis „ ideo quia siti ab his assumptis nata, co- „ piosior potus ingeritur adeoque et plus „ urinae prodit. Nisi enim simul potetur, „ ab his acrior reddi poterit urina et fre- „ quentior ad mingendum stimulus : sed „ non sequetur semper copiosior urinae se- „ cretio quae in Hydrope curando deside- „ ratur *. " Quamvis haec archiater illustrissimus observaverit, salia tamen tum alcalina tum composita ingerit : potum nonnisi parcissimum porrigit. Quo jure sperare sibi licuit, salia in corpore, cujus vasa aquosis sanguinis partibus a morbo Hydropico privata sunt, urinas fore eductura,

* V. Swieten. Comment. tom. iv. p. 257.

quas in corpore sano succisque pleno, sine potulentorum ope, eadem salia saepissime nequeunt provocare. Mirum plane Swietenium in *H*ydrope potiones cum medicamentis adeo timuisse, non solum quod absque potu, ipsomet fatente, haud semper tutum sit salina remedia exhibere, quippe quae et sitim augeant, febremque intendant: sed quod Hippocrates jam „ aquam „ collectam in corpore per aquam copiose „ potatam expellere de corpore conatus „ fuerit. " Si illud tuto suscipiatur, quanto foret tutius aquosa exhibere, cum salibus conjuncta, ut et materia et stimulus ad hanc secretionem promovendam simul administrentur.

Ad metuendum est, inquiunt, ne potu crescat Hydrops et nrinae secretio nequaquam exinde augeatur. Non enim stimuli solum et fluidorum quantitas ad secretiones promovendas requiruntur; sed et robur cordis quo liquida vi quadam in glandulam secernentem propellantur. Hydropici autem debiles sunt. Fluida itaque non in renes protrudentur, non in arterias emulgentes deflectentur, sed deorsum recte suo ferentur pondere, et in varia corporis cava sese insinuabunt. Musculi porro a tu-

more abdominis distenti renum spatia coarctabunt et illorum vasa eo usque compriment, ut liquores ea minus facile subeant. Verum ad haec observare licet, illud urinae secretioni pene proprium esse, quod minima vi cordis excitetur. In debilissimis corporibus, imo quum renes verisimiliter spasmo, ut in hysteria, afficiuntur, magna subinde urinae profluvia videre est. Et, si renum structuram attentius paulo contemplemur, huic rei quodammodo et Hydropi ideo praecavendo, natura quasi prospexisse videtur. Nam renum vasa ita a natura comparata sunt, ut nullae sint in corpore arteriae secernentes, quas liquores adeo facile subeant ac renum arterias. Dudum notavit Boerhavius quod in nulla corporis parte adeo subito arteriae magnae minimos Ramulos edant ac in renibus. Hinc major aliquanto obtinget sanguini renali velocitas in vasis minimis atque in suas partes discissio, ut loquitur Borelli, propter quam uberius aqua sanguinis excernetur. Illud porro velocitatis incrementum directe probatur observationibus Cl. le Dran, quae docent plus omnino sanguinis effundi ab arteriola exigua, quando illa prodit ex magno trunco arterioso. Demonstrat ingeniossimus Bor-

deu renes ex distentione musculorum abdominis compressioni non esse obnoxios, neque moram exinde secretionem pati. Non obstant igitur debiles Hydropicorum vires quin vires quin liquores in renes penetrare possint. Favet illorum ingressui arteriarum renalium fabrica. Favet eidem arteriarum inferius in abdomine sitarum ex aquarum pondere compressio, quae interdum adeo magna est, ut, subductis incaute paracentesi aquis, a tanta copia humorum in vasa antea compressa et coarctata irruente, et subita exinde sanguinis a capite revulsione deliquium animi oriatur. Aliquando tamen et ad ipsos compressio pertingit renes; atque eam forsan ob causam duobus in aegris, quibus nullo modo immensum abdominis tumorem diminuere poteram, liquores parce adeo in renes penetrarunt, ut urinae vix ullae prodierint: sed in aliis aegris libere profluxerunt, quorum ventres tumidi purgantibus paululum antea fuerant diminuti.

Auctores sunt, qui non solum potum quam parcissimum sed omnem omnino a potu abstinentiam suadent, asserentes si quisquam Hydrope correptus, sitis crucia-

tum tollerare aut vellet, aut posset, vitam isto pretio redempturum esse. Quam difficile autem sit Hydropicis, immanem illam sitim tolerare, exemplo sit regis Antigoni amicus, qui etsi summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua devorando, bibendoque priam urinam sese in exitium praecipitavit. Quam inutilis fere et infructuosa haec methodus sit, exempla perpauca aegrorum hac methodo curatorum docent, quae in scriptis illorum legimus qui historias medicas contexuere. Duo sola, unum ex Hildano, aliud a Mercello Donato Swietenius citat, praeter duo illa quae a Meadio memorantur. De aliis quibusdam perpaucis pariter mentionem facit egregius medicus Donald Monro. Plinius de Romano equite Julio viatore narrat quod humore a medicis prohibitus, aquae subter cutem fusae morbo liberatus fuerit *. Atqui haec sunt omnia hujusmodi exempla, quae mihi aut legendo aut observando innotuere, eaque in tot saeculorum lapsu adeo rara sunt, ut omni a potionibus abstinentia ab Hydrope liberari non tam ge-

* V. 6. Plinii Nat. Hist. lib. vii. cap. xviii.

nerali naturae legi consentaneum, quam peculiari alicui corporis referendum videatur sive constitutioni sive conditioni, qua fit ut attractio humiditatis, quae per cutis poros in plerisque corporibus obtinet, impediatur. Nam potionibus abstinere, adeo non solet aquarum in corpore proventum praecludere, ut omnes, ab Hippocratis tempore ad hunc usque diem, auctores pleni sint observationibus quae docent, Hydropicorum corpora, nullo potu ore assumpto, magnam aquarum copiam ex atmosphaera attrahere; et exinde, quamvis aqua e corpore evacuata fuerit, abdomen iterum tumidum fieri. Sed quaeret aliquis si haec ita sint, si humor ea copia ex aere attrahatur, ut morbus exinde alatur et augeatur, cur non humor iste per cutim allatus potulentorum vicem explet et medicamentorum vim promovet? Causa hujus rei in eo posita esse videtur, quod humor sensim per porros invectus et sensim pariter in cava corporis depluens, ad conciliandam vasorum plethoram omnibus secretionibus promovendis necessariam, minime accommodetur. Antea jam monitum est, ad urinas praesertim educendas requiri fluidorum quantitatem una cum diureticis con-

junctam, ita ut flumine multum aucto sanguis ad arterias emulgentes deferatur. Sanguis ad renes cum diureticis eadem, ac in statu naturali, nedum eadem, ac in morbo Hydropico, quantitate decurrens, urinis copiose proliciendis impar evadit. Et Swietenius, uti jam notavi, monuit, in sano corpore nisi simul cum diureticis potulenta asssumantur, acriorem quidem ab his reddi posse urinam et frequentiorem ad mingendum stimulum, sed nequaquam inde semper copiosiorem sequi urinae secretionem quae in Hydrope curando imprimis desideratur.

Quascunque vero explicationes hae res aut habeant aut ferant, de theoriae commentis parum sollicitus, ea de facto ex praemissis haud dubie constare opinor, corpus medicamentis lacessere et humorem simul omnem prohibere, Hippocraticis medendi legibus haud minus esse contraria, quam aegris inimica, vanaque absque potu ea remedia, quae illius ope saepe felicissime cedunt — Insuper crescere saepissime Hydropem sive sibi indulgentem sive omnino a liquidis abstinentem. Itaque, quum abstinentia a potu morbus perraro depellatur, et reme-

dia abſque potulentis neque tuto neque feliciter adhiberi ſoleant, queſtioni ab ornatiſſimo viro Georgio Baker propoſitae aſſentiendum mihi videtur; neque vana fides eſt, feliciorem longe proceſſuram fore Hydropicorum curationem, diluentium hauſtus largiores et frequentiores ſiti aegrorum concederentur.

APPENDIX.

Non ingratum lectoribus fore judicavi si observationibus meis pro appendice adjicerem methodum, qua celeb. Bacher pilulas, tonicat dictas, parare solet. Formula, ab ipso auctore scripta et dein publici juris facta sequens est.

PILULAE TONICAE

Georgii Frederici Bacher.

„ IAM vero, si quaerat aliquis, an
„ ad praedicta in arte desiderata duo (ve-
„ ram scilicet et genuinam morborum hi-
„ storiam et certam, confirmatamque me-

» dendi methodum , non etiam accedat
» tertium illud, remediorum nempe spe-
» cificorum inventio? assentientem me ha-
» bet, et in vota festinantem *."

Genuinus Medicinae fundator Hippocrates suo jam tempore pilularum tonicarum prima jecit fundamina, dum passim meminit de principali earum ingrediente, magnique fecit illius usum, et post ipsum plures alii insignis famae Medici ad hunc usque diem ejus usum conservavere, licet rarum et suspectum, miram ei virtutem inesse praesentiebant omnes; verum non satis gnari partium ejus constitutivarum, de praeparatione multum discrepabant, et de tuto adhibendi methodo disceptabant.

Planta nostra helleborus niger, angustioribus foliis Tournefortio dicta, perennis est et semper virens, insuper id ipsi peculiare est, ut hyeme, circa nativitatem Christi efflorescat, unde meruit nomen germanice *Kristwurzel*.

Hanc juvat clyma temperatum, solum subpingue, nonnihil humidum, situm vero adversatur ubi radii solares con-

* Sydenham, in Praefatione Praxis Medicae Experimentalis.

centrantur ; exterior radicis et fibrarum habitus, sive cortex exsiccatus subfusco niger est, radix fibrillis capillaceis perpluribus, sed minutissimis in ambitu ad longitudinem instruitur.

Vix naribus admovi herbam et radicem, derepente odor nauseosoacris particularum volatilium deleteriarum in hiis hospitantium praesentiam arguebat; gustu demum radicem explorare volui, ex viridi fibra sapor amaro-acri-nauseosus extemplo leviore saltem masticatione sese manifestat; exsiccata radix non adeo moleste stimulat, quin imo blanda oscillatio subsequitur, ubi fibra concisa spatio trium vel quatuor momentorum linguae incubuerit.

Quoniam eo ipso et odorem et saporem nauseosum non perperam suspectum judicavi, moliri separationem ab invicem duxi consultissimum, in hanc igitur seriem processum adornavi. Fibras et radices exsiccatas, trusatili mola subactas vasi fictili et vitreato indidi, spiritu vini armato Alkaest irroravi; xii horas stare sivi, et per intervalla bis vel ter miscendo circumegi; secunda vice denuo irroravi, dein vinum Rhenanum bonae notae affudi ad eminentiam sex digitorum, agitavi spatula

lignea aliquoties addendo per 48 horas vinum ad dictam eminentiam; radices enim imbibunt vinum. Materia sic praedisposita imponitur igni, decoquitur per dimidium horae, colatur vehementi expressione; residuo radicis eadem ejusdem vini quantitas ac prima vice affunditur, proceditur et decoquitur ut ante. Secunda expressione facta, residuum insipidum lignosum rejicitur: ambae colaturae invicem misceantur: affunde duabus aquae ferventis partibus unam colaturae: redigatur praeparatum in vase argenteo, latiori aperto, ad syrupi consistentiam: affundatur rursus una pars extracti duabus aquae ferventis, et inspissetur ac prima vice. Tali processu particulae volatiles nauseoso-acres evaporando segregantur, fixae vero remanent, nostra methodo correctae et praeparatae, et usui nostro adaptatae, tandem addito sub finem nona parte spiritus vini vetustioris, ad therebentinae consistentiam inspissatur extractum.

Dum animo agitarem frequentissime materiam ab Hippocrate aestimatam, animadverti quod hujus usus ambiguos, imo sinistros, habuerit eventus, testante ipso Hippocrate; ideoque de ejus correctione serio cogitandum fuerat. In hunc finem

opus erat segregatione molecularum hostilium et sonticarum a moleculis stimulantibus, tonicis, oscillatoriis, ad usum nostrum destinatis; simulque materiae sic correctae opus erat idoneo connubio, intermixtione scilicet massae congruae, ut contactus plurimorum punctorum stimulantium impediretur, ne plurima puncta ejusdem stimulantis materiae in uno loco in intestinis coincidendo, simul et semel solverentur, soluta vim suam inibi sine intermixtione exercerent, quae vis et activitas stimulans, si disjuncta, si distributa in plures superficies, et in pluribus locis divisa est, moderatur et contemperatur positissime. Quapropter exquisita encheiresis hic maxime expetitur, et in concipienda ac in adornanda compositione pilularum tonicarum, ita circumspectum me gerere debui, ut consulto disjungerem numerum stimulorum, interpositione mitigatoria Pharmaci, virtute anti-septica, detersiva, resolvente et emungente praediti, et quidem ad indicationes mihi propositas, ut praefixum scopum felicius attingerem.

Verum ingredientia pilularum tonicarum praestantiores effectus supradictos non exerunt, nisi proportionata encheiresi com-

binata; unum ab altero mitigatur, rite acuitur, et probe aequilibratur.

Insuper ad formandas pilulas, concorporationis partes debent habere qualitatem simul inviscantem et indurescentem, ita tamen comparatam, ut facile sit solubilis in stomacho etiam debiliori.

Próporro mirrha et carduus benedictus me voti mei compotem fecere. Carduus benedictus a plebe crebrius in usum vocatur, et inde laudabiles annotatae sunt vires. Quid de mirrhae virtutibus sentiendum sit, jam cogniti et comprobati usus ejus interni et externi abunde testantur: signum haud fallax quod corpori nostro sit amica, colligitur partim ex eo quod humore aqueo sit facile solubilis, sicque nostris humoribus facile applicabilis, miscibilis et permeabilis.

Jam exposita pilularum nostrarum ingredientium praeparatione, earum relativa dosis indicanda superest.

℞ Extract. nostr. hellebor.
Mirrhae solutae $\bar{a}a$ ℥j.
Card. bened. pulveris. ℥iij. lib. j.
M. F. S. A. massa aere sicco exsiccanda, donec formandis pilulis apta sit. singul ad gran. semiss.

Planta nostra constat ex moleculis subresino-salinis et gummosis fixioribus amaris, quibus sociatae sunt particulae volatiles nauseosoacres causticae, hae diutina coctione praevaporantur, ita ut remaneant tantum subresinosae salinae fixiores correctae et modificatae.

FINIS.

17 JEN 1876

3731916

Digitized by Google

... chronischen Entzündung ...ende Krankeiten. ...enge-

costanti ed invariabili 8). Che questa fonte essen...
do carbonico libero ne viene di sicura conseguenza ...
zioni organiche dei visceri del basso ventre. Perdita involo...

579196

Digitized by Google

NOB

E M

DE

lena e
mpiu
de
gas
lie s
mi d
chi gi
a, pres
n che a
Vano
amoroso
cittadino.
sua vita,
dal confo
Tale f
miserand
il tardo
render d
essi non
notti, gli
languent
forti ai l
quaggiù,
vita migl
invochian

ingegno di Lui corredato di buoni studj e di fer-
·e. Gravissima impresa che immatura morte rese
ta, defraudandone la scienza del vantaggio ed il
ll'autore di più durevole fama.

ıtigati costumi, l'**AJROLDI** aveva trascelto una
econdo il suo cuore, ma fu contristato pur ne'suoi
ımestici affetti. La memoria di un pargoletto per
ırni posseduto tornavagli sempre oltremodo doloro-
ıgo quasi della breve sua vita, e del maggior lutto
vrebbe lasciato la sventurata sua compagna.

ıtimo l'aggiungere che l'estinto collega era pur
figlio, vero fratello, caldo amico, leal collega, buon
Abbiatene la miglior testimonianza nella onesta
operosa sempre, non avventurata, rimeritata solo
·to che consegue all'adempimento de'proprj doveri.
ı quegli che in questi di ci si è fatto nuovo e
ı spettacolo delle umane sorti, il cui fato acerbo,
a scarso compenso, la laboriosa vita potrebbero
ıbbioso gli emuli suoi del miglior successo; se
fossero già compresi dal pensiero che, le vegliate
sparsi sudori, la vita stessa spesa a beneficio della
umanità apportassero di per sè stessi ineffabili con-
ɔro animi generosi; e più che ai frali compensi di
debbasi mirare ai grandi ed indefettibili di una
ore, i quali nella maggior pienezza fervidamente
ıo sul perduto collega ed amico.

37 31 916

Digitized by Google